PHARVS BENEDICTINA

PHARVS BENEDICTINA

Vniuerſum Orbem irradians.

SIVE

VITA S. P. N. BENEDICTI ABBATIS,

Eiuſque Sanctiſſimæ Regulæ & Ordinis vtilitas, ac Monachorum de Orbe merita glorioſa, binis Tractatibus compendiariò demonſtrata, lucique publicæ,

Per R. P. STANISLAVM SCZYGIELSKI *Benedictinum Tinecenſem expoſita.*

EGO BENEDICTVS I.PP. ET MONACHVS PINGERE FECI.



S. Petrus Princeps Aplor. Dei et D.N. I. C. Vicari9 Eccliæ Romæ Ædificator. | S. Ben. Abb. Patrcha. et legislator Mon. Eccliæ Romæ Reædificator. | S. Paulus S. Petri Coaplus et Doctor Gentium Eccliæ Romæ Coædificator.

Ex Vetuſs Pictura in Abſide Eccliæ S. Sebaſtiani in Foro Boario Romæ expreſsa A.C. 573.

CRAC: Ex Offic: SCHEDELLANA, S. R. M. Typ: A.D. 166

Gentilitia arma

ILLVSTRISSIMI ET EXCELLENTISSIMI D. D. IOANNIS CAROLI KOPEC, PALATINI POLOCENSIS.



Falcibus ex iſtis Heroica facta niteſcunt,
Quêis ſurgit famæ meſsis opima tuæ.
Sed quod ſacra Deo palatia, clauſtraq; condis,
Hoc maius cunctis, omnia vincit, opus.

JLLV.



JLLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO Dño.

D. IOANNI CAROLO IN WIERZCHOWICE K O P E C,

PALATINO POLOCENSI.

Iurburgenſi, Caunenſi, Wierzbolouienſi, Wladiſlauienſi, &c. &c.

C A P I T A N E O

F. STANISLAVS SCZYGIELSKI *Felicitatem.*

MVltum profectò illi de vniuerſa Chriſti fideliũ Eccleſiâ merentur, Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, qui omnes animi curas in id ſolùm intendunt, vt antiquæ fidei pietatiſque Catholicæ ſucceſſionem, à ſanctiſſimis illis maioribus acceptam, ipſi quàm religioſiſſimè teneant, poſteris verò ſuis, ad eorum hereditatem nunquam intermorituram diligentiſſimè commendent. Id verò dignum homine Catholico ſtudium, cum alijs plurimis, tum hoc vel maximo apud omnes argumento in omnem hominum memoriam propagari ſolet, vbi is, qui Eccleſiæ filium ac nutricium ſe libens agnoſcit, acce-

ptum. ex Catholicâ vocatione beneficium, omni quâ potest voluntate ad benefaciendum effusâ, mereri contendit: quo cæteri uiuentes intelligant, illi homini diuinitus illustrato, mentem Catholicam & credendo & faciendo minimè defuisse. Hoc scilicet illud est, reâpse Christianum hominem exprimere, Christi possessionem in animo primùm suo, dehinc aliorum credentium dilatando producere; quemadmodum illi viri diuini, post Christum salutis nostræ vindicem, Apostoli, in eo pietatis officio studium posuerunt, vt fidem Christi plantarent, Ecclesiam toto orbe fundarent, construerentq; in ipso angulari lapide Christo IESV ciuitatem DEI, de quâ gloriosa dicta sunt omnia: quam gloriosissimis victoriæ suæ triumphis proprio sanguine purpuratis, inuicti Martyres auxerût, quam Doctores docendo & scribendo indefessi, vitæ ac sapientiæ meritis perennibus confirmarunt, quam Religionis, Virginitatis, ac cuiusuis alterius sanctæ continentiæ pietatisq; studiosi, proprio quisque suo exemplo condecorarunt ac propagarunt. Quod ipsum Christianæ rei augendæ munus, quam diu hîc in terris Ecclesia militabit, ad omnes quidem qui nomen Christo DEO dederunt, iure quodam pertinere nemo est qui dubitet; Viris tamen Principibus, qui ex primis post sacerdotes & eorum Prælatos, Ecclesiæ sunt filijs, hæc Christianæ hereditatis simulq; dignitatis promouendæ cura potissimum incumbit; de quibus olim Rex magnus, idemque Propheta ore diuino, Christi & Ecclesiæ magnum epithalamiû canens, dixerat, Ecclesiã quasi præsentem allocutus; Et Filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes diuites pl.bis. Id quod & Vates Euangelicus illi ipsi Ecclesiæ promiserat, Et afferent, inquiens, filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt, & erunt Reges nutricij tui & Reginæ nutriciæ tuæ. Nam quantò maior apud illos est rerum huius mundi, siue potentiam, siue honores, siue diuitias spectes, copia & gloria diuinitus illis data, post haustû è cælo diuinum fidei lumen; tantò plus Ecclesiæ debent, cuius causa hæc acceperunt, vt non ad diminuendum, sed amplificandum, non ad oppugnandum, sed defendendum Ecclesiæ Regnû, generi mortaliumse natos esse arbitrentur.

Imitaris equidem Tu Illustrissime & Excellentissime Domine

mine magnos illos Ecclesiæ, fideique cultores & patronos, qui Te Illustri loco natum, ac in Christo renatum meministi; nam vbi primum ex ratione diuinitus illustratâ, viuere atque agere cœpisti, omnem animi contentionem eò retuleras; vt verè gratum, verè amantem, verè obseruantem Ecclesia Catholica Filium Te suum agnosceret: Ita semper ab ineunte illâ primâ ætate vixisti, vt vel ipsa Christianæ pietatis rudimenta pectore & animo Tuo cupidissimo percepta, satis loquerentur, quis & quantus, pro Ecclesiâ Vir in Republica futurus esses. Adolescentem ac iuuenem, præclara virtutum ac litterarum studia, magnorum Virorum doctrinâ & hortatu, exercebant; ex quibus tantum præsidij pro Republicâ & Patriâ comparasti, quantum nunc in Viro splendidissimis natalibus orto, non modo satis esse, verùm etiã plurimùm Ecclesiæ Catholicæ prodesse videmus. Quando enim Tu eximias illas animi ac ingenij Tui opes, non in Rem Ecclesiæ atque Patriæ communem conferebas? cui nihil antiquius erat, quàm de vtrâque illâ parente post Deum primâ, quàm optimè mereri? Atque hinc sanè profectum, illud Tuum Heroicum ac præstanti animo Tuo dignum studium, quod in Re diuinâ publicè priuatimque constituendâ & ornandâ collocasti. Non satis esse putas, Rempublicam cuius Senator es, virtute, consilio, ingenio, & re ipsâ, dum re opus est, iuuare; dignitatem Regiam, incolumitatem Regni, legum sanctiones, libertatis iura, vel maximo etiam Fortunarum, imo & vitæ si quando sors ita ferat, discrimine tueri, nullum periculi genus pro communi salute pertimescere, nullum non contentionis laborem adire, nullis non cum odijs maleuolorum hominum dimicare, dummodò Reipublicæ commodares. Et tamen animo illo tuo sublimi ac generoso longè minora hæc esse videbantur, nisi etiam ad Rem Ecclesiæ propagandam atque tuendam omnes curas, labores, fortunas, vitam etiam ipsam libentissimè conferres. Et dedisti quidem Tu Heros Magnanime plurima & maxima veræ pietatis Catholicæ in DEVM, obseruantiæ in Diuos, amoris in Ecclesiam, honoris in Ecclesiasticos, fauoris in litteratos, beneficentiæ in egenos homines argumenta: Postea quam verè apud animum illum Tuum heroicum diligen-

tius cogitare cæpisti, præter illos nunquam satis laudatos Ecclesiæ defensores, Constantinos, Theodosios, Honorios, Carolos, nostrosque Miescones, Chabrios, Casimiros, alios etiam Religionis ac Religiosorum amicos & patronos, vt alios aliarum gentium nunc taceam, apud nos in Poloniâ & Lituaniâ, Vladislaos Iagiellones, Vitoldos, Sieciechos, Iaxas, Iuones, Wolscios, Pacios, cæterosque illos in omni æternitate memorandos Heroas sanè diuinos; in eam statim Heroe Christiano dignam solicitudinem venisti, vt aliquod Religiosis hominibus domicilium, in quo vera pietas ageret, cum iugi laude DEI, apud te collocares. Et ecce DEO sic adspirante, venit Tibi in mentem ille magnus Ecclesiæ splendor, magnus quoque tot Religiosorum in Domino Parens & Patriarcha DIVVS BENEDICTVS ABBAS, qui Nursiam natale solum, Parentes Eupropium & Abundantiam apprimè copiosos & nobiles habuit; ex quibus ortus, anno post editam salutem octogesimo supra quadringentesimum, vtroque Imperio plurimis maximisque cladibus debilitato iam, & ad occasum properante, Re quoque Christiana, (solutâ passim vetere disciplinâ & erumpentibus quotidie prauorum dogmatum Authoribus) miserandum in modum ægra laborante; tunc diuinæ prouidentiæ admirabilis gubernatio, difficillimis Ecclesiæ suæ temporibus Benedictum excitauit, quem furenti Erebo, eiusque ministris omnia vbique terrarum pro libidine miscentibus oppostuit, cuius ope ac magisterio perditi mores sunt correcti, propagata Religio, sanctitas redintegrata. Quem etiam cum innumeris honorum titulis exornet illa, quæ omnes in eo stuporem adusque demirantur, tum illud quoque non postremum decus addit, quod infinita numero, virtute immortalis, eruditione conspicua soboles, ad Christianæ Reipublicæ commoda & decus, ab ipso proseminata sit, ac toto Orbe propagata. Neque eò tantùm, sed propterea etiam, quod ab ijs omnibus virtutum ornamentis cumulatissimè instructus fuerit, quæ ad celsissimum sanctimoniæ ac venerationis fastigium, mortalium beatissimos efferre consueuerunt. Cuius quidem Patriarchæ Sanctissimi, eiusque filiorum, mille & ducentis in Ecclesia Dei laborantium annis, sudores, amplissimaque merita, cum Te Illustrissime Domine

mine

mine minimè laterent, tum quod in Annalibus Christianæ Reipublicæ optime versatus, quantopere Benedictinus Ordo de Ecclesia Dei meruerit clarissimè legeris; tum ipse quoque apud exteras remotasq; nationes videris, quæ vitæ doctrinæque ratio & disciplina inter eos vsque adhuc diligentissime conseruetur: ad Benedictinos ex illo sacratissimo Cassinensi Domicilio vocandos, atque in illo horizonte Russico locandos, animum non nisi de Religione cogitantē adiecisti. Dignum sanè Tuo illo pectore excelso facinus hoc. Quid enim? an non verè Catholici viri, haud magis ex natalibus clarissimis, quàm meritis amplissimis, illustrissimum in Republicâ locum iurè tenentis, illa nota est, De Religiosorum colonijs, pro Dei gloriâ & animarum salute deducendis, cogitationem atq; curam sumptibus heroicis & beneficentiæ liberalissimæ coniunctam, suscipere? Rari equidē hoc tempore calamitoso Fundatores nostrorū inueniuntur Monasteriorum, qui substantiam fortunasque suas Religiosorum vsibus addicant consecrentue, qui Abbatias erigant, easque reditibus annuis ad necessaria claustraliū profuturis augeant; quin è contra, innumeros videre licet, qui pulcherrima illa priscæ pietatis liberalitatisq; monimenta, veterum Regularium monasteria pessumdant, qui claustrales exsufflant, Fundatorum priorum Principumque supremam voluntatem cassant & immutant, suis bonis benè quæsitis & tanto sæculorum decursu in pace possessis Monasteria spoliant; serosque BENEDICTI Patris filios hæreditatibus suis sacrilegè exuunt, & pupillorum Cænobiorum receptâ in se tutelâ, cū patrocinari deberēt, bona proterūt, vt BENEDICTVS Abbatū gemma dicere iure possit, Qui deuorāt plebē meā vt cibum panis. Nouum itaque hoc & præsenti æuo insolitū factū imò miraculum à Te Illustr: & Excellent: Domine exhibitum est, qui magnam illustris patrimonij tui partem, in Tuo Castro Cassinensi Monasterio erigendo locasti, qui in ornando non mediocres impensas fecisti, qui sumptibus non pepercisti, vt nouos colonos ab Ausoniâ aductos orâ, in Pinscensi collocares tractu. Macte sis animo Heroum præstantissime, atq; BENEDICTI prolem è sacro monte Cassino traductam, eâ quâ cœpisti beneuolentiâ & beneficentiâ complectere: quidquid enim in nepotes tanti Pa-

tris contuleris, ipse ille Parens noster & Monachorum in Occidente Patriarcha gloriosissim⁹, magnus apud Deũ Tuus Patronus & exorator, sibi præstitũ magno in pretio mihi crede reponet.

Quò verò magis tanti Patris alumnos, Tuosque Clientes & oratores coram Deo assiduos, in Domino amare, ac ornare, prout cæpisti non dedigneris, en Tibi Vitam Sanctissimi Patriarchæ BENEDICTI, à Magno Gregorio olim disertissimè scriptam, & cultis nuper Anagrammatibus metrisque à quodam è nostris adornatã, cum nonnullis additamentis & parergis, quæ labores & fructus maiorum nostrorũ breuiter commemoratos repræsentant, adferimus: exquibus omnibus, bene merita Ordinis nostri in Ecclesiam uniuersam præstita cognosces, simùlque etiam pro tuâ singulari animi prudentiâ & æquitate iudicabis, An non ex Re hominum in Ecclesiâ sit Ordo ille, qui Contemplantis simul & Agentis vitæ institutum amplexus, publicam Ecclesiæ salutem quotidie curat, idq; etiam in votis habet, vt omnes Christo lucretur, & omnibus in Christo, & propter Christum semper ac vbique prosit. Recognosces in eodem Opusculo, Magnum Ecclesiæ Catholicæ decus, ac vitæ perfectioris magistrum Benedictum, & quo loco ab omnibus haberi, quo cultu & veneratione excipi debeat, ab aliorum exemplis intelliges, atq; in eius cultu & inuocatione amplius inardesces; simul etiam perspicies, quot ex sacrâ institutione Almi huius Patris prodierint summi Pontifices sanctitate ac sapientiâ celebres? quot Martyres, sanguine propter Christum profuso purpurati? quot Doctores scriptorum in omni genere librorum monumentis aureis insignes? quot Cardinales, Archiep: Præsules, Abbates, Religiosi ac Religiosæ variarum gentiũ ac ætatum, meritis in Ecclesiam & Christianam rempublicam amplissimis illustres? Quos dum intuebêre, atq; humanius recognosces, Asceras Tuos Castro Casinenses in illâ septentrionis orâ nouos per Te incolas, impensius amabis, & eam quam Domino iubente, instituisti nouellam plantationem, ad maturitatem vsque perduces, illaq; gratiâ ac benefica voluntate, quam nobis de Te pollicemur omnes, æternùm vsque fouebis. Accipe igitur hanc PHARVM mundi decusque orbis, BENEDICTVM Patrem, Institutorem & pri-

mum vitæ monasticæ in Occidente propagatorem, cuius Admi-rabilem vitam Tibi offerimus, eumq; apud Deum Tibi nobisq; communem patronũ esse oramus, ac nostrũ apud Te amoris & cæptæ beneuolentiæ, vadem ac præsidem cum obsecratione quadam interponimus. Deus verò ille Opt. Max. Religiosarum mentium auctor, & amator, Te Ecclesiæ suæ nutricium, Reipublicæ senatorem, Religiosorum fautorem, virtutum ac litterarum cultorem, ita suis Benedictionum Gratijs benignissimè auctum velit, vt inter mortales atq; Diuos, ipse Tu, Lectissimaque Heroina coniux Tua, pietatis Tuæ æmula & Pinscensis Dominicanorum Cænobij liberalis fundatrix, & cara pignora vestra, familiæ vestræ decora & columina, beati viuere, gloriosique lætari possitis. Dabam in Tinecensi Monast. Anno 1669. V. Kal. Septemb.





F A C V L T A S.

Permitto editionem huius libri cui titulus est, PHARVS BENEDICTINA &c. Anno *Dñi* 1669. *Apr*: 12.

HYACINTHVS LIBERIVS
S. T. D. *Præpositus* C. R.
Librorum Censor.



PRIVILEGIA QVINQVE S. P. BENEDICTO A CHRISTO DOMINO, VIVÆ VOCIS ORACVLO CONCESSA.

1. QVod Ordo ſuus videlicet, vſque ad mundi finem ſtabit.
2. Quod in eius fine pro Eccleſiâ Romanâ ſtabit fideliſsimè, & plurimos in fide confortabit.
3. Quod nullus in eo morietur, niſi in ſtatu ſalutis: & ſi malè incipiet viuere, & non deſiſtet, vel confundetur, vel ab Ordine eijcietur, vel per ſe egredietur.
4. Quod omnis qui Ordinem ſuum perſequetur, niſi reſipiſcat, vita ſibi abbreuiabitur, vel malâ morte morietur.
5. Quod omnes qui Ordinem ſuum diligent, bonum finem habebunt.

Refert hoc Oraculum Prudentius Sandouallus. Arnoldus Wion. Carolus Stengelius. Cornelius à lapide. Benedictus Heftenus & alij.

PHA-



PHARVS BENEDICTINÆ,

TRACTATVS PRIMVS.

IN QVO

VITA S.P.N. BENEDICTI

SOLVTA ET LIGATA ORATIONE DESCRIPTA, CONTINETVR.

LECTORI

Beneuolo S.

EX *innumeris, quæ à morte* S. P. N. BENEDICTI *contigerunt, Miraculis, vnicum tantùm recitat S. Gregorius Papa, quo diuinæ placuit bonitati, serui sui merita honorare. Cæterum, ab alijs pariter magni nominis Scriptoribus, Miraculorum, quæ* DEVS *omnipotens interueni entibus Almi Patris & Patriarchæ nostri meritis & precibus, prodigiosè operari dignatus est, ingens copia recensetur. quorum vim penè immensam, in hoc præliminari alloquio lubet vel obiter attingere, vt Lectoris animus amplius erudiatur, & ad venerationem tanti Patris efficacius permoueatur. Fuit verò perinsigne illud, quod circumlatis hyberno tempore (in Processione vt vocant) eius Reliquijs, spectante ingenti Procerum, Cleri, populique frequentiâ, se prodidit; quippe quaquauersum incederetur, arbores pomiferæ æquè agrestesque, sed & spineta quæuis atque arbu-*

sta, in oculis illicò omnium in flores eruperunt. Nauis quoque spissâ detenta glacie, Cherubici Viri illatis exuuijs, soluta non solùm, verùm per milliaria sedecim, & absque dirigente ac remige inoffensa decurrit. Cerei etiam vi ventorum extincti, cælesti lumine resuscitati sunt; vt prægnans prodigiorum miraculum asseueres. Surdos, mutos, cæcos, claudos, ægros innumeros curasse inter minima fuit; inter maxima nihilominus, pro ipsa miraculorum multitudine, tantoque decursu sæculorum, perpetuitate censendum. Mortuis pluribus, vt viuus, sic mortuus vitam reddidit: morituris autem singularis à Numine Patronus designatus, in eo ipso, vniuerso mortaliũ generi sui copiam fecit, & certò promisit, quisquis ipsũ tam singularis suæ in morte gratiæ, quotidiè admonuisset. Dæmonibus, vt semper terribilis visus, sic terribilior multò post mortẽ fuit, sic vt solo eius nomine velut fulmine dispellerentur. Beatissimis verò cæli ciuibus (quorum honorem præcipuè per orbem propagauit) Angelis purissimis, eius etiam cineres, sacri & quos contactu sacrauerat cellulæ parietes venerandi fuêre, ad cuius tumulum, vt & in cellâ eiusdem, festiuis maximè diebus, diuturno miraculo, choros instituere musicos auditi sunt, cælestis odoris fragrantiâ & luce admirandâ locum implentibus. Fuisse quodammodo miraculorum potestate & diuersitate cunctipotentem, ex diuersissimis & admirandis sanè prodigijs liquet, quæ in quatuor mundi elementa, Terram, Aquam, Aëra, Ignem, sed & in cælos etiam ipsos, & inferos, animos insuper, & abditissimas animorum cogitationes, manifestissimum est potuisse.


Terræ motibus imperare se posse, non vno exemplo docuit, & vt eo in timore Tutelaris ipse inuocaretur, ipse etiam hortatus est. Terra eius etiam voluntati abdita reddidit, rosas extra tempus, ac florum copiam protulit; ab alto cadentes à morte seruauit; allisa & fragilia integra excepit; duritiem exuit, manna protulit, præcisa & exarefacta animauit, mortuos absque eius gratiâ è visceribus suis reiecit &c. Aqua iussu eius repentè intumuit, eademque rursus descdit, integras classes mersit, quos seruatos ille voluit, nunquam læsit, alios nec madefecit, & stabilem se præbuit; pisces pro libitu protulit, mersa è fundo refudit, ex arida & scopulis fluxit, &c. Aeris pestilitatem correxit, ventorum turbines concitauit, rursumque compescuit, pluuias cælo deduxit, serenitatem reduxit, tenebras idem, idem lumen, & insolentia ista omnia, concessâ à Numine potestate effecit, &c. Igne alios rigidè plectit, alios

eripit

eripit, grauissima sopit incendia, merentes è cælo fulminat, seruat, curat, protegit pœnitentes & ad se confugientes, &c. Vt nulla posteritas sæculorum, Thaumaturgum hunc nostrum dignè & satis admiretur. Frendente infero vniuerso, vltimâ Italiæ poßeßione ipsum deiecit, detestanda illius simulachra & lucos euertit, fraudes & dolos eius detexit, solâ alapâ è diuersis obsessorum corporibus eiecit, solo ijsdem nomine horror, & cladi fuit; totas à morituris legiones dispulit, innumera animorum millia infero præripuit, cælo autem vindicauit, Triumphantis Ecclesiæ Exercitum, multis myriadibus auxit, cælites peccatoribus conciliauit, DEI ipsius iram iustissimam euicit, &c. Nihil ipsi, neque abditissimas animorum cogitationes, dum viueret, latuiße, Gregorio, an potius Diuino teste spiritu, ex vitâ liquet; nunc verò multò perfectius, suorum omniũ cogitationes, & voluntates penetrare, innumeris exemplis patuit. Anxijs, dubitantibus, desperabundis, cogitata retexuit, errores & desperatissima consilia correxit, menti tranquillitatem reddidit, mærorem gaudio inexplicabili permutauit, occultissima animorum vulnera persanauit, aduersũm monachos parata seu meditata prodigiosè auertit, & rigidè punijt, ad pœnitentiam etiam obstinatos sæpè permouit, inimicos Monachis solo cuculli sui contactu amicissimos reddidit; efferatissimos barbarorum animos solo intuitu flexit; alias diuersissimis temporibus, integros exercitus & legiones obtriuit & compescuit; Reges, alios Regnis auxit & beauit, alios expulit & oppressit, vt meritò singularem militiæ tutelarem & Præsidem, celeberrimi olim Imperatores, Orientis quidem Alexius Comnenus, Calo-Ioannes, alijque; Occidentis Magnus Carolus, Ludouicus Pius, Lotharius primus & secundus, Henricus secundus & tertius, Ottho tertius, &c. Reges potentissimi, Pipinus è Carolingis primus Galliarum Rex, Hugo Capetus, Robertus Pius, &c. Archistrategi triumphatorumque hostium gloriâ immortales bello præcipui Duces, Robertus Guiscardus, Gonsaluus Magnus alijque plurimi venerati sunt, & nunc etiam, quibus stupenda eiusmodi, non superioribus solùm & priscis sæculis, sed & proximâ etiam ætate profligatorum à BENEDICTO exercituum exempla audire contigit, suæ militiæ & gloriæ Tutelarem, cultu præcipuo venerentur.

Eius insuper merita omnia omninò eße, quæ ab ipsomet non solum, sed sui instituti posteris omnibus facta sunt, quæque innumerabilia prorsus, etiam silens orbis deprædicat vniuersus, & reuelatione cælesti

didicit Sancta Gertrudis nostra; vt meritò, non tantum tot centenorum millium sacrâ generatione filiorum verè admirabilis Pater, sed tot, sine numero meritorum copia quasi immensa, Gratiarum Oceanus aliquis deprædicetur. Nec hoc prætermittendum, quod ad gloriam Sancti Patris Nostri singulare; tres nimirum Christi vicarios, eosdemque omnes rarâ vitæ sanctitate conspicuos, Vitam atque adeo res à S. P. N. gestas, dignissimis Panegyricis celebrasse: Sanctum videlicet & Magnum Ecclesiæ Doctorem Gregorium Primum; Sanctum Zachariam, qui Græco sermone Orienti communicauit; & Sanctum Victorem Tertium, qui [Baronio & Petro Diacono testibus] mira eius, libris omnino quatuor complexus est. Sed nos missis interim aliorum pro Sanctissimo Patriarcha nostro studijs & lucubrationibus, solius Gregorij Magni librum II. Dialogorum de vita & miraculis S. P. Benedicti Tibi Lector humanissime legendum & contemplandum offerimus, ex quo quantum vtilitatis & delectationis accepturus sis, sequens Introductio patenter demonstrabit,



INTRO-



INTRODVCTIO IN VITAM S. BENEDICTI ABBATIS.



SI velut eximium quid, in laudibus Diui Ioannis præcursoris Domini, quo inter natos mulierum non surrexit maior, reponitur; quòd Saluator noster, DEI sapientia & summa veritas, seruo suo panegyricum dixerit, amplissimisque extulerit præconijs, Lector humanissime: ad Sanctissimi P. N. BENEDICTI commendationem quoque spectare non iniuriâ dixerim, quòd illius Vita, non abs vulgari quopiam scriptore, sed à Summo Christi in terris Vicario, eodemque Gregorio Magno, sit litteris consignata.

Alexander Magnus Achillem fortunatum exclamauit, qui præconem Homerum reperisset; Auctor Flauius Vopiscus in Probo. Idemque Rex, vt ait Horatius Epistolarum lib. 1. Epist: 1.

Edicto vetuit, ne quis se, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lysippo, duceret æra
Fortis Alexandri vultum simulantia.

Quidni beatum etiam dixerim Patriarcham nostrum, qui virtutum suarum nactus est præconem Gregorium, maximum Ecclesiæ Doctorem? Gregorium inquam, quem Isidorus Noster Hispalensis Antistes, de viris Illustribus Cap: 40. vocat *compunctione timoris* DEI *plenum, & humilitate summum, tantoq; per gratiam*

tiam Spiritus Sancti scientiæ lumine præditum, vt non modo illi præsentium temporum quisquam, sed nec in præteritis quidem par fuerit vnquam.

Eundem porrò Ildephonsus Toletanus, de viris Illustribus Cap: 1. non est veritus sublimiori elogio exornare; prædictis enim Isidori verbis subiungit: *Ita enim cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnium illustrium virorum comparationibus, nihil illi simile demonstret antiquitas: vicit enim sanctitate Antonium, eloquentiâ Cyprianum, sapientiâ Augustinum.* Hæc Ildephonsus. Quæ si videri possint hyperbolicè dicta (ait Baronius Anno Christi 604.) quod ex his possis consequi, illud est, quòd eâ æstimatione ad posteros fama de sanctitate & doctrinâ Gregorij propagata est, vt maxima quæq; Gregorium diligentibus visa sint ipso minora Gregorio. Quem & Rupertus Tuitiensis lib: 4. in Regulam S. BENEDICTI Cap: 7. huiusmodi decorauit elogio: *Beatus Gregorius de notissimis Patrum nostrorum, est Sedis Apostolicæ lampas splendida, & pro merito sermonis egregij Sanctæ Vniuersalis Ecclesiæ columna argentea, & reclinatorium aureum, in quo sine dubio reclinauit se ipsa Sapientia. Hîc dixit & scripsit, quia B. BENEDICTVS omnium iustorum spiritu plenus fuit.* Laudibus proinde S. BENEDICTI maximum â Scriptore maximo pondus accedit, quòd ab ijs, qui res eius sunt prosecuti, maximi semper habitum. Martyrologium Romanum: *In monte Casino natalis S. BENEDICTI ABBATIS, qui Monachorum disciplinam in Oriente panè collapsam restituit, ac mirificè propagauit: cuius vitam virtutibus & miraculis gloriosam Beatus Gregorius Papa conscripsit.* Paulus Diaconus in historiâ Longobardorum: *Beatissimus BENEDICTVS magnis vitæ meritis & Apostolicis virtutibus effulsit: cuius vitam, sicut notum est, B. Papa Gregorius in suis Dialogis suaui sermone composuit.* Et Aldelmus Schireburgensis Episcopus in lib: de laude Sanctorum, de S. BENEDICTO agens hæc habet.

Primo qui statuit nostræ certamina vitæ,
Qualiter optatam teneant Cænobia normam,
Quoque modo properet directo tramite Sanctus
Ad superum scandens cælorum culmina cultor,
Cuius præclaram pandens ab origine vitam,
Gregorius Præsul chartis descripserat olim.

Gof-

Goffridus Vindocinensis in serm: de S. BENEDICTO: *Merito,* inquit, *non omnium iustorum spiritum hausisse tantum, sed omnium iustorum spiritu plenus fuisse, in secundo libro Dialogorum Sancti Gregorij laudabilis vitæ Doctoris, qui venerabilem illius vitam scripsit, prædicatur.* Sed amplissimè hinc S. BENEDICTVM celebrandum putauit S. Odo Cluniacensium Propatriarcha, quem suis verbis loquentem attende, Serm: de S. BENEDICTO. *Quoniam verò,* inquit, *sancta atq; admiranda BENEDICTI gesta in promptu habentur, nos interim taceamus de illis. Hoc tamen ad ipsius honorificentiam referamus, quod non alius quilibet ex Magistris Ecclesiæ vitam tanti Patris digessit, quàm insignis ille disertissimus Papa Gregorius, qui totum quod scripsit, quasi aurum refulget. Diuinitus enim dispositum est, vt cum idem excellentissimus Legislator in cæteris modis sit à DEO decoratus, etiam hinc maiori auctoritate, tam ipse quam legislatio eius roboretur: quod eandem vitam summus Apostolicæ Sedis Pontifex ordinauit. Quæ scilicet vita, etiam ex occasione Dialogi eius, pluribus innotesceret; & non solùm apud Latinos, sed etiam apud Græcos notissima foret.* Hæc ille. Eodem sensu S. Odilo in vitâ S. Maioli: *Beatissimus Pater merito BENEDICTVS & nomine, quasi quoddam sydus cæleste præclarus enituit. Qui tantus ac talis, vitâ, moribus, & miraculis extitit, vt eius ortum, vitam & obitum describendo Sanctissimus Papa Gregorius, per omnia Vir Apostolicus, & Apostolicæ Sedis Episcopus, testimonium ei præberet, qui inter principales Primates Ecclesiæ insigne quoddam & principale priuilegium, & vita & doctrina dignoscitur obtinere.* Similiter Aimoinus Floriacensis Cænobita, Serm: de S. BENEDICTO: *Superna dignatio Maiestatis electos suos cælestibus munerans donis, in terris quoq; eximijs laudum ditat præconijs. Quæ per seruos suos, summæ scilicet eloquentiæ viros, dilatans in populis, quam magni apud se sint meriti, facundis elucidari præstat scriptis. Vnde egregij meriti famulum Benedictum, tanto præcæteris Sanctæ Ecclesiæ Patribus donauit priuilegio, vt eius vitæ laudes, non quilibet scholasticorum, verùm præcipuus Doctorum Gregorius, sanctæ Sedis Apostolicus, mellitis dilatarit eloquijs. Et multorum quidem Sanctorum duo aut tria deflorauit miracula; huius autem qualis ab ineunte ætate fuerit vita, quamque mirandum habuerit transitum, dulcissimâ promulgauit facundiâ.* Idemque lib: 2. de gestis

Francorum Cap: 22. *Tantis*, (Benedictus) *effulsit miraculorum signis, vt nisi vir toto, venerabilis orbe, Papa videlicet Gregorius, eius esset vitæ relator, simulq; assertor eximius, profecto ab infidelibus tam mirandis derogaretur actibus.* Robertus Antissiodorensis ex Ordine Præmonstratensi in chronico ad annum 538. *Huius* (Benedicti) *vitam Sanctus Papa Gregorius scripsit virtutibus plenam, & miraculis coruscantem, quam ab ijs didicit & audiuit, qui faciem illius viderunt, & ei in præsenti peregrinatione comites fuerunt: Quam etiam vitam & Regulam idem Dominus Apostolicus auctoritate roborauit & stylo.* Wernerus Roleuink Carthusianus in fasciculo temporum, Anno Christi 504. *Legislator excellentissimus* BENEDICTVS, *Pater maximus, totius Ecclesiæ fulcimentum & norma Religionis, inclytissimos habuit discipulos, & plures numero, & obtinuit orbem terrarum &c. ad cuius honorificentiam hoc etiam accessit, quod non alius quilibet ex Magistris Ecclesiæ, vitam illius digessit, quàm insignis ille disertissimus Papa Gregorius; qui totum quod fecit, quasi aurum fulget: diuinitus enim dispositum est, vt cum idem legislator excellentissimus in cæteris modis sit à* DEO *decoratus, etiam hinc maiori auctoritate, tam ipse, quàm Legislatio eius roboretur: quòd eandem vitam summus Apostolicæ sedis pontifex ordinauit.* Sic ille.

Verùm, vt præstantissimorum artificum si quæ remanserint imperfecta opera alij minoris ingenij perficere ac ne attingere quidem audent, operum præstantiâ deterriti, quòd nimirum ea adæquare se posse desperent: ita religio quædam inuasit non ignobiles scriptores, qui maiestate & sanctitate Gregorij præstricti, summâ quadam erga sanctissimum Pontificem reuerentiâ abstinendum putauerunt ab vlteriori gestorum & miraculorum Sancti BENEDICTI narratione, illud sibi persuadentes ad Gregorij scriptionem aliquid addidisse, idem esse ac decerpsisse. Ita citatus paulò ante Aimoinus: *De ferro* (inquit) *quod ex profundo aquæ redijt, nobis tacendum, vt summo Præsuli Gregorio congruus honor exhibeatur, qui hunc Beatissimum Patrem Nostrum Benedictum in hoc signo, huic sancto exæquauit Elisæo.* Et pluribus interiectis: *Cæterum ea quæ à Beato Gregorio descripta sunt, eius relinquimus excellentiæ. Hoc de nobis proculdubio profitentes, nequaquam gloriam tanti Patris, nostris laudibus eo propagari, quo eam promulgauit dulcis eloquen-*

quentia huius Præsulis. Qui videlicet Beatus Papa, vti Ioannes, maioris eius vitæ descriptor, testatur: Missis Anglorum genti prædicatoribus, huius mansuetissimi Legislatoris institutionem, post Euangelium, præcipuè obseruandam tradidit. Eadem mente S. Petrus Damiani sacrum atque veridicum Gregoriani styli veneratus eloquium, sermonem in Sancti BENEDICTI festo ita exorditur: *In huius Patris nostri præcipuâ solennitate, totis esset viribus incumbendum, nisi nobilis lingua Gregorij totum eius itinerarium sermone magnifico collegisset. Ita enim & actus eius & vitam, undantis eloquij claritate depinxit, vt & stylus sententiarum maiestate scintillet, & sententiæ stylo reluceant clariori. Ex abundanti igitur est, post vocem tanti viri aliquid addere, in cuius comparatione nos non solùm ineloquentes, sed & mutos esse non ignoramus.* sic ille.

Jam verò, quæ & quanta sit, Vitæ S. BENEDICTI Abbatis, quam Magnus Gregorius conscripsit, vtilitas, vix longiori tractatione explicari posset. Nemini etenim dubium esse potest, quin vtilem Reipublicæ Christianæ nauent operam, qui Sanctorum Vitas, & rectè viuendi exempla, litterarum monumentis consignant. *Quemadmodum enim pictores, cum imaginem ex imagine pingunt, exemplar identidem respectantes, lineamenta eius transferre conantur magno studio ad suum opificium; ita qui sese meditatur omnibus numeris virtutis absolutum reddere, velut simulacra quædam spirantia & actuosa, Sanctorum Vitas respicere oportet, probaq; opera illorum, sua imitando facere.* ita S. Basilius epist: 1. ad Gregor:

Eiusdem mentis animiq; fuit, S. P. N. BENEDICTVS, qui Regulæ Cap: 42. suis quotidie non tantum Collationes sed & Vitas Patrum decreuit prælegendas. Cur autem hoc? nimirum censebat, quod & asseruit, eiusdem Regulæ Cap: 73. scilicet, *Collationes Patrum, & instituta, & vitas eorum, nihil aliud esse nisi bene viuentium Monachorum exempla, & instrumenta virtutum.* Sed quod ille de aliorum Sanctorum scriptâ vitâ asseruit, hoc de eiusdem & nos iure merito possumus affirmare. Etenim, vt ille etiamnum viuens, dum virtutibus signisq; in solitudine succresceret, plures ad Omnipotentis DEI seruitium suo attraxit exemplo: idipsum ab exaratâ vitæ eius historiâ licebit expectare. Et hoc sanè fine, à Magno Gregorio descriptam non ambiget, qui Dialogorum

suorum libris, hanc ab eo præpositam sententiam leget; *Sunt nonnulli quos ad amorem patriæ cælestis plus exempla, quam prædicamenta succendunt.*

Quod cum sit verissimum, minus opus est aliorum testimonijs in re clarâ vti, cum ipsiusmet Gregorij assertio sufficiat, qui libro 2. Dialog: Cap: 2. ait voluisse DEVM omnipotentem *BENEDICTI vitam in exemplum hominibus demonstrare, vt posita supra candelabrum lucerna clarescerete, quatenus omnibus qui in domo DEI sunt, luceret.*

Cuius vita, cum tota sit moralis & informatiua, ac præsertim monasticâ doctrinâ illustrata, emolumentum magnum ex ea potest haberi, si diligentius inspiciatur. ac inprimis certum est, eos qui hanc S. Patris BENEDICTI Vitam, ceu absolutam quandam Monasticæ vitæ ideam, viuumque & spirans Sanctitatis exemplar secuti sunt, ad eximium perfectionis gradum peruenisse. Quo in numero Ordinis nostri minimè paucos extitisse, vix esse credo, qui dubitet. Magna sanè illa post solem nostrum sydera, Maurus & Placidus, paternæ virtutis æmuli, vestigia eius vt tempore, ita & moribus proximè sunt sectati; vt enim ex vtriusque vitâ licet colligere, quod eum facere videbant, idipsum moribus quàm accuratissimè exprimebant.

Quod autem illi viuum intuentes prototypon in se repræsentarunt, id alij deinceps ex hac à Gregorio descriptâ historiâ imitari conati sunt. Hinc adeò factum est, vt obortis subinde controuersijs & difficultatibus, hac vnâ S. BENEDICTI Vitâ, eiusq; exemplo plures Sancti, & illustres viri se, suamq; doctrinam defenderint. Credebant nimirum minimè improbandum, quod tanti Patris firmaretur exemplo: quod quidem cum ad S. Patris nonnullam spectet gloriam, eamque quam diximus exaratæ eius vitæ comprobet vtilitatem, nonnullis confirmabimus exemplis.

Ex hac igitur vita B. Nilus apud Baron. anno Christi 980. docuit fas esse Dominico ieiunare die. Ex hac vita Petrus Blesensis epist: 86. Alexandro Carthusiano persuadere conatur, ne Ordinem suum, quòd quotidie in eo rem sacram facere non posset, deserat. Ex hac ipsâ vitâ S. Petrus Damiani opusc: 19. cap: 11.

Nicolao Papæ comprobare nititur, licere sibi Episcopatum dimittere, quia videlicet B. Benedictus commissum non ambigitur regimen dimisisse. Sed & Gratianus causa 7. q. 1. can: *ibi adunati.* rationem eam ob quam S. Gregorius ostendit licuisse B. BENEDICTO subditos deserere, in suum referens Decretum, communem eam deinceps voluit efficere regulam. Idem Gratianus distinct: 45. can: *cum beatus.* ex eo quòd S. BENEDICTVS vagum Monachum virgâ percusserit, astruit aliquando subditos verberibus posse corripi.

Angelicus porro Doctor plusculas veritates S. BENEDICTI exemplis, verbisq; ex hac vitâ desumptis, confirmat.

Primò enim, vt probet non esse necessarium, vt quicumque ad superiorem vult statum peruenire, à minori incipiat; & quod aliquis ab altiori gradu Sanctitatis incipiat, quàm sit summum, ad quod alius totâ vitâ peruenit: id probat ex eo, quod Gregorius dicat: *Omnes agnoscunt à quanta Benedictus puer conuersationis gratiam perfectione cæpisset.* D. Tho: 2. 2. q. 189. Art: 1. ad 2. Et opusc: 13. Cap: 7. Et quodlib: 5. Art: 21.

Secundò ex eo, quod Sanctus BENEDICTVS nutricem occultè fugiens, & Romano Monacho propositum suum aperuerit, colligit Opusc: 17. Cap: 9. deliberationem de vitæ statu non ineundam cum consanguineis & proximis.

Tertiò ibidem Cap: 13. ex eodem facto probat, pueros perfectionis statum posse eligere, seseque religioni deuouere: *Quis enim*, inquit, *puerum Benedictum stultitiæ argui patiatur, quod relictâ domo, rebusq; patris, sanctæ conuersationis habitum & desertum quæsiuit*, Idipsum & alio, ibid: Cap: 3. probat argumento, ex eiusdem S. BENEDICTI vitâ; quod Romanæ Vrbis Nobiles, B. BENEDICTO filios suos Omnipotenti DEO nutriendos tradiderint.

Quartò, idem S. Doctor 2. 2. q. 188. Art: 8. exemplo S. BENEDICTI docet absq; præcedenti exercitio solitariam vitam, ex diuinæ gratiæ inspiratione suscipi posse, quod alias esset periculosissimum.

Quintò, vt ostendat Religiosis non necessario incumbendum manuum operibus, id Opusc: 19. Cap: 5. S. BENEDICTI exemplo confirmat, qui tribus annis in specu mansit manibus non laborans, vt ex hoc victum quæreret. *Sexto*,

Sextò, ex eodem fonte ibid: Capite 7. deducit, licere Religioso valido & forti, ex fidelium eleemosynis vitam traducere: nimirum quia *Benedictvs tribus illis annis in specu manens, de his quæ à Romano Monacho ministrabantur, refectus est, postquam domum parentis reliquerat; & tamen validus corpore existens, non legitur de labore manuum victum quæsiuisse.* Et hactenus quidem Angelicus Doctor.

Sanctus verò Bonauentura libro de paupertate Christi q. 1. Art: 2. & q. 2. postrema duo similiter ex S. Benedicti vitâ concludit; qui etiam libro de profectu Religiosorum Cap: 6. probat, Deum post tentationem consueuisse seruos suos amplius consolari, & purioris perfectionis gratiam conferre, quia B. Benedictvs cum grauiter tentaretur, viriliterque resisteret, *ita plenè vicit, vt Dei gratiâ nunquam postea motus carnalis illecebræ in se sentiret.*

Reginaldus S. Dominici discipulus, exemplo S. Benedicti instructus, fratrem qui vilem pannum sine superioris licentiâ acceperat, aliumque fugam meditantem, virgâ percutiens, vtrumque à dæmonis insidijs liberauit.

Ab hoc Sancto Patre didicit Sanctus Amatus, quod de eo scribitur: *quod in obliquâ parte Vosagij Montis concauum reperiens saxum, angustum illic sibi vni habitaculum construxerit, ibiq; lectulum habuerit corpori accommodatum; nec enim specus amplius aut longius sese porrigebat. Superius autem immanis hærebat rupes, ex quâ minister eius, tintinnabulo ad funem ligato, exiguam panis particulam, & parum aquæ in vasculo ei submittebat.* Hoc idem quoque S. Benedicto Romanus præstitit monachus.

Non parum quoque vtilis est hæc S. Benedicti vita, ad redarguendum eos, qui Catholicæ fidei contradicunt, aut Nouatoribus cedunt & credunt. Si enim Magnus Gregorius vitæ huius scriptor, fuerit, etiam ipsius Caluini (*lib: 4. Instit Cap: 7. & Cap: 17. & in Epist: ad Sadol: Card:*) testimonio, Vir Sanctus, & Theologiæ ipsius propugnator, quique Romæ Episcopus iure dici possit, neq; ante Gregorij ætatem Romana defecerit Ecclesia, consequens hinc fit, sana ea esse dogmata, verosque Dei ritus, qui ex eiusdem Gregorij scriptis vsu recepti fuisse pro-

probantur: ac proinde errare, qui hæc talia vt superstitiosa, & veræ Christi Ecclesiæ minùs consentanea improbant & damnant.

I. Missæ vocabulum & rem, missam faciunt hæretici. Lutherus Missam neq; esse à DEO institutam, neq; esse Sacrificium, imò neq; esse bonum opus asseruit, libro de captiuit: Babilon: Quinimo tanto odio Missam prosecutus est, vt librum aduersus illam scripserit hoc titulo *De abrogandâ Missâ:* in quo scribit, eam esse summam idololatriam & impietatem. Caluinus quoq; lib: 4. Cap: 18. Eucharisticum Sacrificium Missæ nomine appellatum, conuitijs dilaniat. Sed Missæ vocabulum & rem, in hac S. BENEDICTI vitâ à Gregorio tradi Cap: 23. videmus; & in ipsâ suâ Regulâ S. BENEDICTVS Missæ meminit Cap: 35. & 60.

II. Negat idem Caluinus, cum Wicleffo, Carolstadio, Oecolampadio, & Zuinglio, veram, realem, & substantialem pretiosissimi Corporis & Sanguinis in Eucharistiâ præsentiam: sed hic Cap: 24. refertur BENEDICTVS Dominicum corpus parentibus cuiusdam defuncti pueri tradidisse. Et Cap: 38. exitum suum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione muniuisse. Ex vtroque loco intelligi verosimiliter queat, Eucharistiam tum temporis fuisse reseruatam; quod ipsum hæreticis displicet.

III. Oderunt hæretici Clericorum à laicis distinctionem, & Ministrorum in Ecclesiâ DEI varietatem. Lutherus in lib: de abrog: Missâ priuatâ parte 1. *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo prorsus nulla secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus vnctus, nullus rasus, nullus Monachus esse debeat.* Et Caluinus lib: 4. suæ Instit: Cap: 4. §. 9. *Hæc,* inquit, *appellatio aut errore, aut certe ex prauâ affectione nata est, cum tota Ecclesia Clerus, id est, hæreditas Domini à Petro dicatur.* Verum si huic Gregorij narrationi adhibeant fidem, non difficulter omnium Ordinum gradus inuenient: Cap: enim 16. & 31. occurret Clericus, Cap: 8 Subdiaconus & Diaconus. Cap: 15. Presbyter, & 16. Episcopus.

IV. Templa in Martyrum, aut Sanctorum aliorum memoriam, DEO exædificari, sectarij nolunt, vt olim etiam Eustachius in Gangrensi Concilio damnatus: verùm hîc à B. BENEDICTO Oratoria S. Ioannis Baptistæ, & S. Martino dicata, legere est.

Sacrarum Reliquiarum venerationem, & inuocationem Sanctorum, cum idololatriâ coniunctam, non semel ait Caluinus. In hac porrò vitâ Cap: 16. narrat Gregorius Clericum per multa Martyrum loca transmissum, vt sanari posset. Vbi peregrinationes ad loca Sancta probari videas, quas tamen Lutherus in declamationibus Wittembergæ habitis, *discursus ex diabolo* nuncupat. Caluin: lib: 4 Instit: Cap: 13 §. 7. *plenas manifestæ impietatis* audet dicere.

V. Signi crucis productionem, passim rident hæretici: hîc autem Cap: 3. videre est vitreum vas cui venenum inerat, edito hoc salutari signo confractum. Eodem, Cap: 9. insidentem lapidi dæmonem pepulit. Ieiunia & ciborum delectum improbant Nouatores; sed videas hîc Cap: 1. ab ipso Deo commendari S. Benedicti inediam: Cap: 13. laudari eum qui ieiunus ad virum Dei annis singulis venire consueuerat. Et Cap: 16. sanato Clerico præscribi à S. Patre, abstinentiam à carnibus.

VI. Carpit Gebennensis Apostolus Instit: lib: 3. Cap: 20. §. 9. editionis Gallicæ, Breuiarij recitationem vnâ cum Diuino officio, quod Canonici, ac Religiosi noctu diuq; celebrant, illa omnia *garrulitatis Deo pueriliter illudentis* nomine appellans. Sed Monasticæ psalmodiæ celebris hîc Cap: 4. mentio habetur; quam ab ipso S. Benedicto duodecim capitibus descriptam, in Regulâ videre est. Ecclesiasticam Excommunicationem vt brutum fulmen sectarij exsibilant; & Lutherus nullatenus timendam seu procurandam ait. Ex hac porrò vitâ Cap: 23. quam sit formidanda luculenter discim⁹. Moniales enim, quibus solùm interminatus erat, quod communione eas priuaret, nisi mores corrigerent, visæ sunt post mortem de sepulchris exire.

VII. Maximè inuehuntur sectarij in Monachalem statum & Religionis vota. Wicleff omnes Religiosorum Ordines à diabolo in Ecclesiam introductos sensit, & Augustinum, Benedictum, Bernardum, ad inferos esse damnatos, nisi pœnitentiam egerint. Lutherus in Epithalamio, statum Religionis nihil valere, sed ethnicum, terrenum, sæcularem, ac veluti lutum esse dicit. Caluinus libro 4. Instit: Cap: 13. Monasteria dicit lupanaria, vota monastica retia sathanæ, Monachos omnes sophi-

stas

ſtas cucullatos, qui ab Eccleſiâ diſſenſionem fecerint, & ſe totos diabolo conſecrauerint. Sed videas hîc à Gregorio laudari BENEDICTVM vt Eremi incolam, Monachorum Patrem, & Monaſteriorum Fundatorem. Videas hîc ſanctæ conuerſationis habitum, obedientiam, paupertatem, & abſtinentiam Monaſticam, plerosq; Cænobitarum ritus, Sanctimonialium inſtitutum viuendi, Regulam à Viro DEI ſcriptam, promiſſionem manendi in Monaſterio Cap: 25. aliaque quæ in Monachis ſubſannant ac carpunt ſectarij.

Animaduertit iam, credo, prudens Lector, quot ex vno hoc libro emolumenta proueniant? quot redarguantur hæreſes? qualiter mores inſtruantur clauſtralium? quam neceſſariæ doctrinæ ad benè beateq; viuendum, ex Vita S. Patris eruantur? vt planè, perfectam ad virtutem eundi rationem, & certam ad cælum perueniendi viam, hæc ſola Vita S. BENEDICTI monſtrare videatur. Eam itaque, ex his rationibus, tum quod filijs Almi Patris, & fratribus meis, Ordinem eius & Regulam profeſſis conſulere, & ad pietatis incrementum auxilij quidpiam ſuggerere ſummopere velim, imprimendã curaui; vt eam crebrius relegendo, Monaſticè viuendi rationem & ipſe ediſcerem, & alijs proficiendi, habitâ copiâ exemplarium vitæ eius, opportunitatem præpararem. Siquidem Romani ſapientis, ad Lucil: epiſt: 11. monitum eſſe noui. *Aliquis vir bonus nobis eligendus, vt ſic tanquam illo ſpectante viuamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus.* Sed quis in hoc genere Pædagogus eligendus; *Elige,* inquit, *eum, cuius tibi placuit & vita & oratio, & ipſius animum ante te ferens & vultus, illum tibi ſemper oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt enim aliquo, ad quem mores noſtri ſe ipſi exigant. Niſi ad regulam praua non corriges.* Quem autem Monachi melius ante oculos habeant, quàm monachorum omnium Patriarcham, cuius vita eis & oratio placuit? Ad quem Regulares, mores ſuos exigant, niſi ad regulam, & Regulæ conditorem? Si enim hunc elegerint, ſub cuius vexillis DEO militarent, a quum profecto eſt, & Ducis ſui ſectentur veſtigia. Si ſcriptæ ab eo Regulæ colla ſubmiſerint, meritò & in illum reſpicient, qui Regulæ ſuæ imago, & viuum quoddam eſt ſimulacrum. Nam vt

magnus de eo scripsit Gregorius, Dial: l. 2. C. 36. *Sanctus Vir nullo modo potuit aliter docere, quàm vixit, nec aliter viuere, quàm scripsit.* Vt eius mores in Regulâ, tanquam in speculo quodam lucidissimo, appareant; & Regulæ ipsius praxis, in ipsius Vita moribusque cognoscatur.

Quid? quod & ipsum PATRIS nomen, quo Legislatorem nostrum libentes meritoque afficimus, non venerationem dumtaxat, sed & imitationem, adeoque factorum eius considerationem iure suo exigat. *Attendite*, inquit Scriptura Isaiæ 51. *ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Et Apostolus ad Hebr: 13 7. *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum DEI; quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* Nihil enim sic filiorum extimulare debet animum, quàm domesticum sui Patris exemplum. *Tanquam enim magnes*, inquit Fran: Saccin: *dum è circulis ferreis, quasi catenam arcana rapacitate struit, vt quisq; est proximus, ita primum, ac vehementissimè rapit; sic virtutis illecebra, atq; pellacia coniunctissimum quemque maximè debet afficere, ac deuincere, ad seque deducere. Eô fit, vt etiam vulgo fædissimum habeatur, Maiorum non respondisse virtuti. Quippe eadem virtus & Regula posteris est, ad quam vitam dirigere suam iubentur, & quædam clara lux, quæ sicubi aberrent atque degenerent, prauitatem in obscuro esse non sinit.* Huc scilicet pertinet acris illa Christi Domini ad Iudæos increpatio, Ioan: 8 39. *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Quasi filiorum nomine censeantur indigni, qui paternas non exprimunt virtutes. Quas sanè nemo ad viuum repræsentabit melius, quam qui prototypon & crebrius inspexerit, & attentius.

Ex his porrò capitibus Sancti Patris BENEDICTI vitam, non nostro sed Magni Gregorij adumbratam penicillo, typis euulgandam curaui: vt vitæ eius prælucente nobis face, ad regulæ eiusdem obseruationem, dirigerentur pedes nostri in viam salutis Ne verò nudum dumtaxat Gregorij daremus textum, eandem Sancti Patris vitam, Anagrammatibus ornatam carmineque expressam, adiecimus: vt fessus legentis animus, istâ varietate refectus, totum percurrere legendo, non tædescat. Rectè siquidem Cassiodorus epist: 36. monuit: *Nemo dubitat, homi-*

nes

nes suâ varietate recreari: quia in continuatione rerum, magnum mentibus constat esse fastidium. Quocirca cum non æqualiter omnes ad lectionem quamque affectos & natos sciam⁹, cum alij Pòëticis arguti, alij Rhetoricis floribus & scriptionibus magis obiectentur; vt vnus quisque in hac sacra Vita habeat, in quod magis legendo propendet, vtroque hîc exhibetur stylo.

Te quoque, mi Lector, pede nunc, nunc ire caballo.
Nunc iuuat ire rotâ, nunc iuuat ire rate.

Si verò alicui hæc opella nostra displiceat, tum quòd ex alieno penu deprompta sit, tum quòd styli inæqualitatem referat; mihi tamen hæc ipsa typis commendandi non indigna occasio visa est, vt hoc pacto, Parentem filius, Magistrum discipulus, Ducem miles, Pastorem ouis, Prælatum subditus, Patronum cliens, non adorarem tantum, sed & adornarem pro mea tenuitate, factis ad prælum impensis & aliquo studio in edendo collato: pro quo conatu meo, si non laudem, veniam saltem merebitur, bene de Patriarcha nostro totoque eius Ordine merendi voluntas.

INVOCATIO.

Assumptâ descriptione vitæ, Sancti BENEDICTI *Abbatis, Diuinum Numen, & Nomen Diui Patris, implorat Pòëta, factâ allusione tali.*

Diuus Patriarcha BENEDICTVS

ANAGRAMMA

Hic Sanctus dat purè iubar DEI.

NAuta per immensum ventis stridentibus æquor
Qui ratis exiguo remige pulsus abit,
Ne ruat in scopulos, vel aperta pericula Syrtes,
Erret & ignoti per vada cæca maris;

 Si

Si qua Pharos teretis fulgens in vertice cliui
Aspicit æquoreis altior extet aquis;
Mox sua vela parans, tortos aptansq; rudentes,
Insequitur visum naue volante iubar.
Sic BENEDICTE *tuis turgens dum laudibus æquor*
Pieridum velis nostra carina petit,
Ne sulcet dubiâ fluctus ambage viarum,
Aut illisa vadis naufraga potet aquas,
Tuta sed vt recto contingat tramite portum,
Quod demonstrat iter, quærit habere iubar,
Quærit habere iubar *multò splendore coruscum,*
Nam iubar *exiguum non satis esse potest.*
Lucida si niteant fœcundæ sidera Ledæ,
Aut Helice lumen spargat in Orbe suum;
Non satis illa regent rutilo fulgore carinam,
Quæ BENEDICTE *tuum per mare tentat iter,*
Splendidius Solis, Lunæ fulgentius astro,
Quod iubar *est, summi debet adesse* Dei.
Hoc iubar,, *Aonijs nauem quæ remigat alis,*
In portus placidum promouet vsq; locum.
Sed iubar *hoc quisnam faciet fulgere Tonantis,*
Vel quonam venient hæ præeunte faces?
Purpureis euecta rotis Tithonia coniux
Præuia temoni Solis adunat equos.
Qui præit, atq; Dei iubar *hoc exurgere mandat,*
Lucifer in terris es BENEDICTE *Pater.*
Sicq; Dei *rutilo* iubar *hoc demittis ab axe,*
Vt purè *Omnigenâ sit sine labe nitens.*
Non tegitur tenebris, pluuio nec conditur imbre;
Sed purè *radians detinet vsque decus.*
Hoc iubar *ergo, Pater, cùm te tribuente coruscet,*
Fac veluti nostræ sit Cynosura rati.

SAN-

S. GREGORII MAGNI PAPÆ PRIMI DIALOGORVM LIBER II.

DE VITA ET MIRACVLIS S. BENEDICTI,

PRÆFATIO.

FVIT vir vitæ venerabilis, gratiâ BENEDICTVS & nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens, nulli vòluptati animum dedit. Sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter liberè vti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore. Qui liberiori genere ex prouincia Nursiæ *a* exortus, *b* Romæ liberalibus studijs traditus fuerat. Sed cum in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit *c* pedem: ne, si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque literarum studijs, relicta domo rebusque patris, soli DEO placere desiderans, sanctæ conuersationis habitum quæsiuit. Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indoctus. Huius ego omnia gesta non didici: sed pauca, quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus, agnoui: CONSTANTINO scilicet, reuerendissimo valde viro, qui ei in Monasterij regimine successit: VALENTINIANO quoque, qui

qui annis multis Lateranensi Monasterio præfuit: SIMPLICIO, qui congregationem illius post eum tertius rexit: HONORATO etiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua priùs conuersatus fuerat, præest.

EIVSDEM SANCTISSIMI AC DEO ACCEPTISSIMI *MONACHORVM PATRIARCHÆ,* DIVI BENEDICTI, VITA ET MIRACVLA *ANAGRAMMATIBVS ET METRO* *Comprehensa.*

Nascitur Diuus Patriarcha BENEDICTVS

ANAGRAMMA.

* Nursia hunc parit, & ab arce ducit sidus.

OMnia Cimmeriys quàm sint hîc plena tenebris,
Quamq; sub humano nox cubet atra sinu,
Mellifluus Doctor Bernardus id edocet ore,
a *Cantica dum Sponsæ mystica verba refert.*
a *Serm:* *Totus, ait, densâ tegitur caligine mundus,*
71. *Totus & in tenebris noctis imago iacet,*
Omnia nam videat si quisquam crimina Mundi,
Hunc bene conspiciet lucis habere nihil.
Liuor edax, odiumq; furens, & fœda voluptas,
Cœca libido, vorax crapula, spurca Venus,
Ambitióq; nocens, tumidæq; elatio mentis,
Insidiæ, fraudes, furta, rapina, doli,

Quid

Quid nisi sunt tenebræ, quibus hic obuoluitur Orbis?
Nox quibus & medio cernitur esse die?
Antè tamen CHRISTVS *veniens quàm Solis ad instar*
Virtutum radijs lumina multa daret;
Flagitij grauior terras caligo premebat,
Mundus præ tenebris Oedipus alter erat.
Ille foret quamuis visu præstantior Argo,
Attamen in tanto lumine cæcus erat.
Cæcus erat, CHRISTI *quia verâ luce carebat:*
Lux ea nam lucis nomina sola gerit.
Ast vbi Virgineâ CHRISTVS *demissus ab aluo,*
Sol velut exoriens fulsit in Orbe nouus;
Tunc scelerum nebulas, Mundi tenebrasq; fugauit:
Non tamen expulsis omnibus aura fuit.
Omnibus ipsa quidem tenebris lux orta nitebat,
Sed tenebræ lucis non tenuêre iubar.
Hinc Deus ad proprij solaria lumina Nati
Addidit exiguæ sidera *multa facis,*
Quæ vario mundi sub climate nata fuerunt:
Talia pars Orbis quælibet astra dedit.
Ardua sic res est vitiorum tergere nubes,
Cuiusuis tenebras & minuisse mali.
Quælibet at quamuis dederit pars sidera *Mundi,*
Sidera *diuinæ quêis facis ardor erat,*
Vrbs tamen Hesperiæ non infima Nursia *terræ,*
Fulgidius celsâ sidus ab arce *dedit.*
Sidus ab arce *dedit* BENEDICTVM, *cuius origo*
Stemmáque ab illustri nobilitate venit.
Sidus ab arce *dedit virtutis, lumine cuius*
Clarius haud spargunt astra minora iubar.
Parrhasis Vrsa velut, vel clara Lycaonis Arctos,
Hoc sidus *tenebras iussit abire procul.*
Cuncta repurgato nequijt si nubila Mundo
Pellere, quod CHRISTI *non potuêre faces;*
Sic tamen effudit BENEDICTVS *lumina terris,*
Clarior vt fuerit, quàm foret antè dies.

b Diuus BENEDICTVS iuuenis ſtudet Romæ.

ANAGRAMMA

Benè rectus viuit DEO vnà Muſis deditus.

IAm decus in primo BENEDICTI flore iuuentæ
Hebe lacteolis fecerat eſſe genis
Illius vt nitidum radiabant ſidus ocelli,
Dignus & illius Principe vultus erat.
Pulchrior at pulchro veniens in corpore virtus,
Splendidius mentis fecerat eſſe decus.
Nam formam niuei BENEDICTVS corporis augens,
Moribus Angelicis condecoratus erat.
Tantáque maturæ grauitatis ſigna gerebat,
Vt foret hic iuuenis corpore, mente ſenex.
Non illum Paphiæ recreabant munera Diuæ,
Quæ iuuenes animos exhilarare ſolent:
Non iuga Taigeti, neq; curſu Mænala luſtrans,
Tendebat timidis ſubdola lina feris.
Altior his animo voluens ſed ſeria nugis,
Aoniæ cultor ſedulus artis erat.
Hinc magis à patriâ poſſet tellure remotus
Iugiter vt ſacris inuigilare choris,
Totius Auſoniam mundi caput iuit ad vrbem,
Quæ fuit & quondam Palladis ampla domus.
Hâc vbi Pieriâ viuit *BENEDICTVS in arte,*
Exſuperat ſocios ſedulitate ſuos,
Artibus ingenuis cultum iungitq; Tonantis;
Virtuti ſtudium damna nec vlla parit.
Sicq; DEO rectus *Iuuenis* benè viuit, & vnà
Deditus *eſt* Muſis, deditus *eſtq; libris.*

Diuus BENEDICTVS Romam deserit.

ANAGRAMMA.

Sit amor DEI iustum deducens Vrbè.

NVrsius vt Iuuenis bene Musis deditus extat,
A studijs socios degenerare stupet:
Miratur vitij spatiosum currere callem,
Castalides monstrant quêis pietatis iter.
Hic etenim clypeos mutans, & tela Mineruæ,
Idalio mollis sub Duce miles erat.
Ille frequentarat Phœbi dum manè Palæstram,
Quod reliquum superest, tempus agebat iners.
Deterior seruans studiosi nomina tantum,
Lusibus & choreis deditus alter erat.
Cætera quid memorem? Quidquid vesana cupido,
Cæcus & in Iuuenum pectore mandat amor;
Nil Numen veriti, leges, aut verba Magistri,
Audebant faciles in genus omne mali.
De vitijs certamen erat; palmam ille tenebat,
Cui minimum sancti cura pudoris erat.
Hæc videt, & mæsto BENEDICTVS *pectore seruans,*
Sæpiùs ad socios verba monentis habet.
Sed quos à vitijs nequeunt reuocare Magistri,
Consocij poßunt eripuiße minùs.
Quid reliquum BENEDICTVS *aget? benedictus habetur,*
Admixtus prauis num maledictus erit?
Vt mala vicinæ lædunt contagia pestis,
Crimina prauorum sic nocuisse solent.
Quisue picem tangit, qui non fædatur ab ipsa?
Stupáque vicino nunquid ab igne flagrat?
O quantum generant consortia praua pericli!
Quam sæpè hinc Iuuenum certa ruina fuit!

Appetit ingenuos qui non corrumpere mores,
Hic procul à socijs debet abesse malis.
Non fugienda magis damæ sunt ora Leonis,
Quam praui facies est fugienda bono.
Ergòne quas tanto coluit BENEDICTVS amore,
Deseret Aonias exul ab vrbe Deas?
Ergòne Pegasei latices è fonte caballi
Spernet, vt in luteo flumine potet aquas?
Inscius ætatis virides an transiget annos,
Ignarùsque feris assimilandus erit?
Vtpotè vix hominis censetur nomine dignus,
Cuius mens studijs non bene culta fuit.
Quid faciet? Latij mox linquere tecta Quirini
Prauorum vitijs vita pudenda iubet.
Castalidum sed amor mandat remanere sororum,
Vrbis & egressum Phœbus Apollo vetat.
Linquere Musarum tales sed CHRISTVS alumnos
Imperat, ac odio mandat habere scelus.
Hos voluens dubios BENEDICTVS pectore motus
Hæret: at hunc dubium non mora longa tenet.
Iustum *Diuus* amor *Romana* educit *ab* vrbe,
Et solùm obscuros cogit adire specus.

CAPVT I.

De capisterij fracti reparatione.



HIc itaque cum iam, relictis litterarum studijs, petere deserta decreuisset, nutrix, quæ hunc arctiùs amabat, sola secuta est. Cumque ad locum venisset, qui dicitur Enfide: multisque honestioribus viris pro charitate se illic detinentibus, in beati Petri Ecclesia demorarentur, prædicta nutrix illius ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petijt: quod super

ſuper menſam incautè derelictum, caſu accidente fractum eſt, ſic vt in duabus partibus inueniretur diuiſum. Quod mox rediens nutrix illius vt ita inuenit, vehementiſſime flere cœpit: quia vas quod præſtitum acceperat, fractum videbat. BENEDICTVS autem religioſus & pius puer, cùm nutricem ſuam flere conſpiceret, eius dolori compaſſus, ablatis ſecum vtriſque fracti capiſterij partibus, ſeſe cum lachrymis in orationem dedit: qui ab oratione ſurgens, ita iuxta ſe vas ſanum reperit, vt in eo inueniri fracturæ nulla veſtigia potuiſſent; moxque nutricem ſuam blandè conſolatus, ei ſanum capiſterium reddidit, quod fractum tulerat. *a* Quæ res in eodem loco à cunctis eſt agnita, atque in tanta admiratione habita, vt hoc ipſum capiſterium eius loci incolæ, in Eccleſiæ ingreſſu ſuſpenderent: quatenus præſentes & ſecuturi omnes agnoſcerent, à quanta BENEDICTVS puer conuerſationis gratiam perfectione cœpiſſet: quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & vſque ad hæc Longobardorum tempora ſuper fores Eccleſiæ pependit. Sed BENEDICTVS plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes, & pro DEO laboribus fatigari, quam vitæ huius fauore extolli: nutricem ſuam occulte fugiens, deſerti loci ſeceſſum petiit, cui Sublacus vocabulum eſt: qui ab Romana vrbe quadraginta fere millibus diſtans, frigidas atque perſpicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenſo priùs lacu colligitur, ad extremum verò in amnem deriuatur. Quô dum fugiens pergeret, monachus quidam, Romanus nomine, hunc euntem reperit; quo tenderet requiſiuit. Cuius cum deſiderium cognouiſſet, & ſecretum tenuit, & adiutorium impendit, eique ſanctæ conuerſationis habitum *b* tradidit, & in quantum licuit, miniſtrauit. Vir autem DEI ad eundem locum perueniens, in arctiſſimum ſpecum ſe tradidit, & tribus annis, excepto Romano Monacho, omnibus hominibus ibi incognitus manſit. Qui videlicet Romanus non longè in Monaſterio ſub Theodati Patris regula degebat: Sed piè eiuſdem Patris ſui oculis furabatur horas, & quem ſibi ad manducandum ſurripere poterat, diebus certis BENEDICTO panem ferebat. Ad eundem verò ſpecum à Romani cella iter non erat, quia excelſa

 deſu-

desuper rupes eminebat: sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatum Romanus deponere panem consueuerat; in qua etiam resti paruum tintinnabulum inseruit, vt ad eius sonum Vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet, quem exiens acciperet. Sed Antiquus hostis vnius charitati inuidens, alterius refectioni; cum quadam die submitti panem conspiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit. Romanus tamen modis congruentibus ministrare non desijt. Cum verò iam Devs omnipotens & Romanum vellet à labore quiescere, & Benedicti Vitam in exemplum hominibus demonstrare, vt posita supra candelabrum lucerna clarescerct, quatenus, omnibus, qui in domo Dei sunt luceret: cuidam Presbytero longiùs manenti, qui refectionem sibi in Paschali festiuitate parauerat, per visum Dominus apparere dignatus est dicens: Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit, atq; in ipsa solemnitate Paschali cum alimentis, quæ sibi parauerat, ad locum tetendit, & virum Dei per abrupta montium, per concaua vallium, per defossa terrarum, quæsiuit, eumque latere in specu reperit. Cumque oratione facta, benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitæ colloquia is, qui aduenerat, Presbyter dixit: Surge, sumamus cibum, quia hodie Pacha est. *d* Cui Vir Dei respondit, dicens: Scio, quia Pascha est, quia hodie videre te merui. Longè quippe ab hominibus positus, quia die eodem Paschalis solennitas esset, ignorabat. Venerabilis autem Presbyter rursus asseruit, dicens: Veraciter hodie resurrectionis Dominicæ Paschalis dies est, abstinere tibi minimè congruit: quia & ego ad hoc missus sum, vt omnipotentis dona Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum sumpserunt cibum. Expleta itaque refectione & colloquio, ad Ecclesiam suam Presbyter recessit. Eodem quoque tempore hunc in specu latitantem etiam pastores inuenerunt: quem dum vestitum pellibus inter fruteta cernerent, aliquam bestiam esse crediderunt; sed cognoscentes Dei famulum, eorum multi ad pietatis gratiam à bestiali mente mutati sunt. *e* Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis, factumque est, vt ex illo iam tempore à multis frequen-

cari cœpiſſet, qui cum ei cibum afferrent corporis, ab eius ore in ſuo pectore alimenta referebant vitæ.

Diuus BENEDICTVS vas fractum reſtituit.

ANAGRAMMA.

Diues ac debitus manet virtutis fructus.

FVgerat Auſonij BENEDICTVS tecta Quirini,
Et celer in patulis iam properabat agris;
Audijt vt proprio quem fouerat vbere Nutrix,
Romanos iuuenem deſeruiſſe lares,
Protinus egrediens ſpatioſæ mænibus vrbis;
Quam puer accepit, ſuſcipit illa viam.
Vt reor, huic dederat celeres amor anxius alas;
Jlle nec à portis tam procul vrbis erat.
Tunc Nutrix lacrymis oculos ſuffuſa nitentes,
Talia mærenti pectore verba dedit:
O BENEDICTE, mei verè optima portio cordis,
Et mihi præ cunctis ſemper amate puer!
Cur fugis? aut cur te noſtris amplexibus arces?
Quem tibi proponis ſolus adire locum?
Solus abis, laterıq́ tuo comes omnis abeſſet,
Me tibi maternus ni ſociaſſet amor.
Nam tibi ſi proprio dederim non ſanguine vitam,
Propter quod merear matris honore frui;
Noſtra tamen teneris ſugens puer vbera labris,
Es ſolitus matrem me vocitare tuam.
Jnde tui parili mea mens ferueſcit amore,
Quo materna coquit viſcera prolis amor.
Si tua nunc igitur merito ſim nomine mater,
Non ſecus ac matri, tu mihi pande fugam
Dic mihi, cur fugias? vel quid fugiendo requiras?
Vel tibi cur alio climate vita placet?

An locus est toto, Româ, præstantior Orbe?
Hanc Mundi memorant totius esse caput.
Si sedes variare cupis, Latiósque penates,
Delectátque nouos incoluisse lares;
Littera scripta priùs debet monuisse parentes,
Ac illis animi pandere sensa tui.
Quid dicent, vbi te sacras Heliconis alumnas
Accipient montis deseruisse Deas?
Quis precor, illorum penetrabit viscera mœror,
Si semel à Latiâ fugeris vrbe procul?
Tota tuis etenim domus inclinata recumbit
Artubus, illustri stemmate clara domus.
Cur igitur linquis, natalibus edite magnis,
Quod venit ex tanta nobilitate genus?
Flecte viam, mecumq; redi festinus ad vrbem,
Multo pòst reditus tempore turpis erit.
Vel tua si stabili perstet sententia menti,
Quæ saltem fuerit, dic mihi, causa fugæ.
Talibus in lacrymas Nutrix resoluta studebat
Planctibus à cœptis hunc reuocare vijs.
At Diuo Iuuenis flagrans BENEDICTVS *amore,*
Nutrici similes reddidit ore sonos:
Quid cursu sequeris fugientem præpete Nutrix?
Vel mihi susceptum quid remoraris iter
Quid remoraris iter fugientis retia mundi?
Prô nimium multis retia plena dolis!
Deberes potiùs nostris talaria plantis
Addere, quàm gressus sistere velle meos.
Insidias nescis, nescísque pericula mundi,
Illius & quanto gaudia felle madent.
Dulcia promittens nam mundus. amara propinat,
Melléq; sub blando dira venena tegit.
Non tantùm nocuit cunctis Medæa venenis,
Nec tantam genuit sæua Megæra luem;
Idalius quantam toto puer efflat in Orbe,
Qualia vel spargit sæua aconita Venus.

Nullus

Nullus in Orbe locus ſudo nun [illegible] erſtat:
Quilibet infectus cernitur e [illegible] ralis.
Ipsáque Muſarum ſtudijs ſacrata Palaſtra
Flagitij peſtem prӕterijſſe nequit.
Nam quamuis fuerit virtus germana Camœnis.
Attamen Aonijs exulat illa locis.
Crede mihi, feruens Iuuenum prӕcordia ſanguis
Qui mouet, in quoduis hos facit ire ſcelus.
His ego coniunctus, ſimili nè crimine mores
Inficiam, Clarij deſero tecta chori.
Omnibus eſt ſocijs mihi virtus carior vna,
Numinis atque magis me mouet vnus amor.
Cœlicus vrget amor totum me dedere CHRISTO.
An duce ego poſſem nobiliore frui?
O quanta eſt Domino tali ſeruire voluptas!
O quàm lӕta fluit vita ſacrata DEO!
Plura locuturum Nutrix ſermone reſumpto
Impediens lacrymis, talia verba dedit:
Ergo cauernoſos fugiens BENEDICTE receſſus,
Syluarumq; citis curſibus antra petis?
Tûne puer, tenero cui vernat in ore iuuenta,
Et veſtit roſeas mollior aura genas?
Tùne, cui nullis eſt apta laboribus ӕtas,
Syluanas poteris ſic habitare domos?
Ah neſcis, BENEDICTE, quibus ſit ſubdita pœnis,
Quam cupis agreſti ducere vita loco.
Non ea debilibus puerorum vita lacertis
Conuenit; eſt forti vix ſubeunda viro.
Quilibet eſt iſtis non miles idoneus armis;
Athletas tantùm talia bella decent.
Has vbi nutricis BENEDICTVS ab ore querelas,
Audijt, accelerat quam cupit ire viam.
Haud illi reddenda putat reſponſa loquenti:
Nouerat hӕc tantùm verba ſenilis anûs.
Ipſa tamen Nutrix pueri veſtigia ſeruans,
Mӕſta comes cœptӕ iungitur vſque viӕ.

Insignem domibus donec, populoq; frequentem
Ad vicum veniant deficiente die.
Hic iubet hospitij nox proxima tecta subire,
Fessáque tranquillo membra locare toro.
Vnica nec tantùm reficit nox acta lacertos,
Longior est isto sed mora facta loco.
Hoc labor assumptus, ratio siue altera vellet,
Non satis est promptum posse referre metris.
Quidquid id est, paucis hîc pausat vterque diebus:
Nec cupit hoc nutrix ducere tempus iners.
Dona capisterio Cereris purgare laborat,
Corrupta exiguis farráque mundat aquis.
Necdum impleraт opus cœptum versatile Nutrix,
Dum lapsum manibus vas ruit ante pedes.
Hæc subitò lacrymis magno turbata dolore
Tecta replens, querulos mittit in astra sonos.
Namq; capisterium graue quamuis frangere non sit,
Est aliena tamen perdere, culpa grauis.
Percipit has mœsto Nutricis ab ore querelas,
Nescius & casus, hæc BENEDICTVS *ait:*
Cur tantis mulier singultibus ilia rumpis,
Et tristis querulâ sidera voce feris?
Dic, age, quâ tantus promanat origine mœror,
Prima refer, quænam semina planctus habet.
Hæc puero gemitu vix permittente loquelam,
Quæ sibi contigerant, ordine cuncta refert.
Omnibus auditis, animo deponere curas
Dum iubet, in cœlos fert sua vota puer.
Suppliciter iunctas tendens ad sidera palmas,
Has facit æthereo feruidus igne preces:
Magne Parens hominum, solus qui luce creatâ
Fecisti è fragili corpora nostra luto;
Quàm citò qui nosti, quidquid fabricatur arenâ,
In partes abeat, sitq; quod antè fuit;
Hæc lutei fragmenta Deus, precor, aspice vasis,
Quæ tua dignetur reddere iuncta manus.

Vix

Auctore Gregorio Magno.

Vix ea fatus erat, partes (mirabile dictu)
Cernuntur proprio quæq; coire loco.
Debitus *iste* manet fructus virtutis *abundè*;
Peruersis etenim thaumata nulla quadrant.
Mittitur hac celeri vicum pede fama per omnem,
Tantáque per puerum quilibet acta stupet.
Rumor & vt multos crescat vulgatus in annos,
Affixum templi vas manet ante fores.

b Vestitur Monachus.

ANAGRAMMA.

Hic sanè vt mortuus.

NOn solet esse pio magis exitiale venenum,
Quàm sibi delati magnus honoris amor.
Noxia censetur pietati gloria pestis,
Certáque mors animæ laus celebrata venit.
Sæpiùs in vanas transit vindemia frondes,
In lolium segetes degenerare solent.
In vitium, nisi sit virtus abscondita, transit,
Atque pias mentes gloria vana necat.
Ipse suis igitur metuens hunc frugibus imbrem,
A populi plausu nunc BENEDICTVS *abit.*
Nè leuis incautam pertentet gloria mentem,
Viso prodigio, quam sibi turba refert.
Egreditur vico, fugiens Nutricis amores,
Quæq; sibi elegit, promptior antra petit.
Rupe sub ingenti Sublacus nomen adepta,
Frondibus & ramis tecta cauerna fuit:
Huc longâ Iuuenis fertur regione viarum,
Huncq; labore graui pergit adire locum.
Obuius occurrit Monachali tectus amictu
Nomine Romanus, vir pietate grauis.

Alloquitur Iuuenem, verbisq; inuitat amicis,
Errantem dubias quem putat ire vias.
Quod genus, inquirit, quodnam sit stemma Parentum,
Quod studium, qualis patria, quæue domus.
Talia sollicitè paucis responsa petenti
Subiungens verbis, hæc BENEDICTVS *ait:*
Non, Venerande Pater, per syluas perditus erro,
Sed Deus hos iussit me penetrare specus.
Scire cupis patriam, nostræ vel originis ortum?
Nursia me genuit, nobile stemma dedit.
Sed patriam fugio, ceras contemno Parentum;
Quod decus est vere nobilitatis, amo.
Gestio prima meæ dare CHRISTO *tempora vitæ:*
Nam veteri munus plus iuuenile placet.
Hic amor, hoc studium, fuit hæc mihi meta viarum,
Direxitque meos spiritus ille pedes.
Hæc vbi Romanus magno non absque stupore
Audijt, hos læto reddidit ore sonos:
Gaudeo te iuuenem Mundi contemnere pompam,
Gratulor ad CHRISTI *te properare crucem.*
Cùm tua nunc igitur mihi sit manifesta voluntas,
Assumes Monachi me tribuente togam.
Talibus auditis, flexo mox poplite, sacrâ
Romani manibus corpora veste tegit.
Mortuus hic *animo quamuis spirante uidetur:*
Mortuus *est Mundo, viuit at ille Deo.*
Mortuus, *& viuus sic est* BENEDICTVS *in antro*
Fælix quem vitæ mors sociata tenet.

BENEDICTVS á Romano enutritus.

ANAGRAMMA.

Vt datur iste cibus? nónne amore?

Cum

C*Vm nullos sterilis fructus Iudæa Colonis*
Redderet, & multos tolleret orta fames,
Quâ pietate decet Natos coluisse Parentes,
Josephum legimus sic releuasse Patrem.
Venditus à proprijs, sine crimine, fratribus exul,
Ægypto dominans, Rex velut alter erat.
Audijt vt patriam Cereris non dona tulisse,
Atque cibo multos deficiente mori;
Ad sua decrepitum mox Patrem regna vocauit,
Cui fuit adducto copia magna dapum.
Dauidi quondam profugo formosa Monarchæ
Abigail etiam vina, dapésque tulit.
Nec minor est pietas eius, quæ carcere clausum
Vberis haud timuit lacte fouere Patrem.
His impensa tamen BENEDICTO *in rupe latenti*
Romani pietas est celebranda magis.
Vt datur iste cibus? *Diuino nunquid* amore?
Dignus hic æternis laudibus extat amor.
Non multum fuerit Cereris si farra dedisse,
Jlla sibi non est eripuisse parum.
Romano, ceu moris erat, sat parca dabatur
Portio; nam modicus fercula panis, erant.
Vt proprij poßet stomachi sedare dolores,
Sufficiens omnis vix erat iste cibus.
Hunc tamen æquali diuisum parte, petitâ
Abbatis veniâ, fert BENEDICTE *tibi.*
O *pietas! ô magnus* amor! *qui subtrahis escas,*
Nutriat vt corpus proximus inde suum!
Martini diuisa chlamys si grata Tonanti,
Æternæ potuit laudis habere decus;
Dignus honore cibus nonnè *est partitus* amore?
Iste *etenim pretium tegmine maius habet.*
Quâ verò ratione dapes demittat in antrum
Romanus, metricis persequar ipse modis.
Rupe sub excelsâ, vasto semota recessu,
Nomine Sublacus, densa cauerna fuit.

Eius vtrumque latus ſcopuli, montéſque premebant,
Difficiléſque aditus vallis in antra dabant.
Altera per nemorum tractus via fortè patebat
Planior, ingreſſus quâ BENEDICTVS *erat;*
Sed via Romanum remorari tanta nequibat;
Ocius eſt monachis nam repetenda domus.
Vtpotè communis rata ſunt prouerbia dicti:
Cœnobium Monachus, flumina piſcis amat.
Hinc ſuper exciſæ ſtans alta cacumina rupis,
Mittit in obſcurum fercula fune locum:
Aduentúſque ſui ſonitu denuntiat horam,
Pendula iuncta cibis quem nola parua facit.
Inuidet vnius Dæmon, quod cernit amoris
Officio, alterius commoda tanta dolet.
Ad mala, vel fraudes animum conuertere doctus,
Proiectu lapidis diuidit æra nolæ.
Campanam ſtygius potis eſt ſic frangere ſerpens,
Sed pia Romani frangere corda nequit.
Dum nola fracta ſilet, ſonitus fit voce ferentis:
Romano haud iactus fregerat ora lapis.

d A Sacerdote inuiſitur.

ANAGRAMMA.

En ſacro die viſitatur.

M*Os fuit à primâ ſeruatus origine Mundi,*
Feſtiuas epulis concelebrare dies.
Dum tua lux bifrons radiabat Iane Quirino,
Quam nouus auratis Sol vehit vſque rotis;
Plebs ea certatim conuiuia lauta parabat,
Omnigeno menſas exonerante cibo.
Mænades inſani facientes orgia Bacchi,
Sumebant hilari prompta ſalerna manu.

Prima dies dapibus de festis quinque Mineruæ
Gaudebat, reliquum tempus ad arma fuit.
Iudæus pariter seruans sua festa per annum,
Est solitus varijs fercla parare cibis.
Ad seros etiam venit mos iste nepotes,
Hi nolunt ab auis degenerare suis.
Talia nec puduit CHRISTI præstare clientes,
Inclyta dum festi lux celebranda venit.
Non vetat ille dapes, qui nostris vsibus illas
Condidit; at luxum, deliciásque vetat.
Attalico si quis celebrat conuiuia luxu,
Christiadûm ritu non bene festa colit;
Non nisi finitis precibus, votísque peractis,
Sunt ea per tenues nam facienda dapes.
Hâc pius aptarat quidam ratione Sacerdos
Paschatis in sanctam fercula pauca diem;
Cùm noctis medio præeuntis tempore festum,
Huic Deus in somnis talia verba dedit:
Tu modò lauta paras conuiuia, clausus in antro
Et meus vt comedat, nil BENEDICTVS habet.
Sat fuit hoc dictum, quod vox audita iuberet
Protinus agnoscens, exilit ille toro:
Ac vbi nudatum corpus vestiuit amictu,
Quæ ferri poterant, fercla parata capit.
His oneratus abit: syluas, saltúsque pererrat,
Lustráque soliuagis antra relicta feris.
Sic cupit ignoto sua munera ferre Sacerdos:
Est satis hunc notum voce fuiße Dei.
Jam cœli medium Sol scanderat igneus Orbem,
Maior & illius pars erat acta viæ,
Cùm densâ nemoris BENEDICTVM in rupe latentem
Presbyter inuenit, cui prior ista refert:
Salue vir meritis multùm dilecte Tonanti,
Quem fauor æthereus me reperire dedit;
Si lubet, amplexu mihi sis coniunctus amici,
Oscula nec renuas, quæ tibi casta fero.

Id simul admirans, simul & conterritus hærens,
Presbytero paucis hæc BENEDICTVS *ait:*
Quis precor es, tanto petis hæc qui lustra labore?
Visendi ignotum quæ tibi cura fuit?
Talia quærenti reddens responsa Sacerdos,
Sit factæ memorat quæ sibi causa viæ.
Nox erat, & medij conuexa per atria cœli
Alta pruinosos Luna regebat equos,
Me Deus vt placidi capientem munera somni
Emißâ, thalamo surgere, voce iubet,
Exponitq; tui quæ sint ieiunia ventris,
Quæq; parata habui, fercula ferre iubet.
His moror haud dictis, hodiernæ festa diei
Lux quamuis poterat me retinere domi.
Lux ea nam niueo redijt signanda lapillo,
Quâ CHRISTVS *stygio victor ab hoste fuit.*
Quæ colis assiduè, non sunt ieiunia festo
Hoc paschæ celebri continuanda die.
Ergo age, sume dapes, lætamq; exporrige frontem;
Et tua sit modico mens recreata mero.
Dixerat; & viridi factâ de cespite mensâ,
Festiuè appositos sumit vterque cibos.
Mens tamen eloquijs priùs est nutrita sacratis.
Quàm sit ab ægroto corpore pulsa fames.
Si iuuat interdum dapibus miscere loquelam,
Enthea diuino verba calore sonant.
Mensa nec in longas noctis traducitur horas,
Vnica sumendis vix datur hora cibis.
Quæ postquam solito cursu transacta recessit,
Quas debet, grates reddit vterque Deo.
Presbyter & proprios, antro, syluisq; relictis,
Luce petit velox deficiente lares,

Pasto-

Auctore Gregorio Magno.
Pastores in fide instruit.

ANAGRAMMA.

Is est in prudentia fortis.

Fortè sub annosâ quærens vmbracula quercu,
Dum lumen medio Phœbus ab axe daret,
Ad loca frondosis BENEDICTI *proxima lustris*
Rustica Pastorum venerat vna cohors.
Eminus vt medio Diuum conspexit in antro,
Hunc ibi degentem credidit esse feram.
Scilicet hic inter nemoris virgulta latebat;
Arboreæ frondes huic quoque vestis erant.
Attamen vt propiùs quidam subiere cauernam,
Aspiciunt formam corpus habere viri.
In medijs hominem mirantur viuere syluis,
Et Iuuenem obscuros sic habitare specus.
De turbâ reliquis Diuum tunc doctior vnus,
Quid iuuet in densâ valle manere, rogat.
Incipit inde rudi BENEDICTVS *dogmata turbæ*
Pandere, quêis verus noscitur esse Deus.
Exponitq; decem summi Præcepta Tonantis,
Qualis & ad cœlos sit via certa, docet.
Explicat & virtus quâ sit ratione colenda,
Et fuga cuiusuis sit facienda mali.
Vt scelus infernas sontes detrudit in vndas,
Vt iustos etiam præmia digna manent.
Vtq; reconciliat Superis Metanœa nefandos,
Crimina cuncta lauat, iustificátq; reos.
Fallacisq; probat sunt quanta pericula mundi,
Quàm Venus illicijs estq; timenda suis.
Sicq; animos Diui fortis prudentia *vincit,*
Doctrinâ Salomon vt queat esse nouus.

CAPVT II.

De tentatione carnis superata.



Vadam verò die, dum solus esset, tentator adfuit. Nam nigra paruaque auis, quæ vulgò merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusque vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc Vir Sanctus tenere voluisset: sed signo crucis edito, recessit auis. Tanta autem carnis tentatio, aue eadem recedente, secuta est, quantam Vir Sanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namque aliquando fœminam viderat, quam malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit, tantoque igne serui DEI animum in specie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flamma vim caperet, etiam pænè deserere eremum, voluptate victus, deliberaret. Tunc subitò supernâ gratiâ respectus, ad semetipsum reuersus est, atque vrticarum & veprium iuxta densa succrescere frutecta conspiciens, exutus indumento, nudum se in illis spinarum aculeis & vrticarum incendijs proiecit, ibique diu volutatus, toto ex eis corpore vulneratus exijt, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, quia voluptatem traxit in dolorem. Cumque benè pœnaliter foris arderet, extinxit quod intus illicite ardebat. Vicit itaque peccatum, quia mutauit incendium. Ex quo videlicet tempore, sicut post discipulis ipse perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid in se minimè sentiret. Cœperunt postmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, vero iure iam factus est virtutum magister. Vnde & per Moysen in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à viginti quinque annis & suprà ministrare debeant: ab anno verò quinquagesimo, custodes vasorum fiant.

PETRVS.

PETRVS.

Jam quidem prolati testimonij mihi aliquantum intellectus interlucet, sed tamen hoc plenius exponi postulo.

GREGORIVS.

Liquet, PETRE, quòd in iuuentute carnis tentatio ferueat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat. Vasa autem sacra, sunt fidelium mentes. Electi ergo cum adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac seruire necesse est, & obsequijs laboribusque fatigari. Cum verò iam mentis ætate tranquilla calor recesserit tentationis, custodes vasorum sunt: quia Doctores animarum fiunt.

PETRVS.

Fateor, placet, quod dicis: sed quia prolati testimonij clausa reserasti, quæso, vt de vita iusti debeas ea quæ sunt inchoata, percurrere.

A Diabolo in specie auis tentatur.

ANAGRAMMA.

Ea laude obtenta spinis victoria.

SIc vbi Sublacum colit indefessus eremum,
A Domina fugiens Nursius vrbe puer;
Tartarus inuidit, iuuenisq; Tyrannus Athletæ
Collectâ statuit cœpta vetare manu.
Parua mora est. Pugili fecialem mittit Auernus,
Proxima qui sæua nuntiet arma Stygis.
Quò ferat hic citiùs Plutonis iussa Magistri,
Factus auis, pennâ remige carpit iter.
Si merulam fingit; quia nigra est illa volucris,
Aptius huic monstro nil reperire quiit.
Et pugilem versus tendit propiore volatu,
Ceu legatorum libera iure foret.

Inuolat in faciem, subitò procul inde recedit,
Mox iterumq; redit, mox iterumq; fugit.
Si placet Athletæ (tanta est audacia Ditis)
Dum circumuolitat, se sinit illa capi:
Masculus in primo bellandi nescius æuo
Alitis insolitâ se stupet arte peti.
Hâc tectum effigie fecialem nescit Auerni
Declarare ferâ bella gerenda manu.
Nescit Tartareas in se properare phalanges,
Nescit ibi Plutum, nescit adesse stygem.
Mulceat hîc volucres circumspicit ecquis Arion?
Aduocet & quisnam trax citharista feras.
Ergo pugil timidus rerum nouitate suarum,
A stygio fieri conijcit hoste dolos:
Se tamen oblatum parat ad certamen Auerni,
Viuificâ signans pectus & ora cruce.
Instantis crux illa fuit certaminis index,
Nuntia conflictûs crux fuit illa tuba.
Ficta per hanc subitò volucris vanescit in auras,
Et vocat instructas ex Acheronte manus.
Mox nigræ properant acies, properantq; cohortes,
Eumenidum stimulat buccina rauca Duces.
Pluto præit, comes est Cypriâ cum Matre Cupido,
Et primi in pugilem flammea tela vibrant.
Ante oculos statuunt formosæ Virginis ora,
Quondam in Romuleis obuia facta iugis.
Illáque depingunt admisto muricis ostro,
Thermodoontæâ candidiora niue.
Quo valet hoc iaculum BENEDICTVS *robore vincit,*
Atque animi firmâ summouet arma ferâ.
Acriùs obijcitur species, fugat acriùs ipse:
Sæpè repellit eam, sæpè repulsa redit.
Hic contrà opponit manantia vulnera CHRISTI.
Gaudia cœlorum, tormina dira stygis.
Vultibus obiectis cedunt sed vulnera CHRISTI
Astra poli cedunt, atque gehenna stygis.

Hæc vbi nil prosunt; sua tundit pectora palmis;
Sed neque dulce malum pectora tunsa fugant.
Occurrunt animo decorati iaspide cirrhi,
Astat Erythræus colla per alba lapis.
Æmula sideribus blandè se lumina sistunt,
Labráque Pæstanis anteferenda rosis.
Vincitur; ecquid agat? longo sudore satiscit,
Penè manu scutum deficiente cadit.
Jam spelæa parat tres linquere culta per annos,
Victáque fœmineâ vertere terga fugâ.
Illa suis tantùm credit solatia flammis:
Semper amans quodnam diligit, ipse cupit.
Quid faciat nescit; non est nam sensus amanti:
Cæcus & infelix nil videt omnis amans.
Qui tamen extremis consueuit adesse periclis,
Ecce Deus famulo protinus addit opem.
Stabat in hoc stadio paliuris dumus acutis
Horridus, hirsutus, sentibus atque minax.
Numinis huc properat motu cælestis Athleta,
Et tegetem exutam corpore ponit humi.
Mox salit in medias positâ formidine spinas,
Haud secus ac tepidæ balnea credat aquæ.
Nunc humeros terebrat stimulis, dorsumq; supinus;
Nunc oculos, faciem pronus & ora fodit.
Nunc latus in dextrum repetito vulnere, membra
Vt secet, in læuum nunc furit ira latus.
Nunc ferit immitis collecto pectora ramo,
Non satis vt per se spina *maligna foret.*
Jam loca vulneribus desunt, venâq; patente,
Sanguis inundanti non minor amne fluit.
Pellis olorinæ nusquam pars vlla videtur,
Vndique diffuso tota cruore latet.
Macte animo, BENEDICTE, *tibi* laus *inde resultat;*
Vicisti stygio fortior hoste, pugil.
Obtenta ex spinis *tribuit* victoria *palmam:*
Fugit ab aspectu iam procul acta Venus.

Et licet exutum vallâ te vidit ademptâ,
Amplecti nudum non tamen ausa fuit.
Terruit hanc hirti sindon nimis aspera lecti,
Quæq; feris vepribus culcitra farta fuit.

C A P V T III.

De vitro fracto per signum crucis.

RECedente igitur tentatione, Vir DEI quasi spinis erutis, exculta terra, de virtutum segete feracius fructus dedit. Præconio itaque eximiæ conuersationis celebre nomen eius habebatur. Non longe autem monasterium fuit, cuius congregationis pater defunctus est, omnisque ex illo congregatio ad eundem Venerabilem BENEDICTVM venit, & magnis precibus, vt eis præesse deberet, petijt. Qui diu negando, distulit, suis illorumque fratrum moribus se conuenire non posse prædixit; sed victus quandoque precibus assensum dedit. *a* Cumque in eodem monasterio regularis vitæ custodiam teneret, nullique vt priùs, per actus illicitos in dexteram læuamque partem deflectere à conuersationis itinere liceret: suscepti fratres insanè sæuientes, semetipsos priùs accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerant, quorum scilicet tortitudo in norma eius rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere, & se dolerent adsueta relinquere, durumque esset, quod in mente veteri cogebantur noua meditari, & quia grauis est semper prauis moribus vita bonorum, tractare de eius morte aliqui conati sunt, qui inito consilio, venenum vino miscuerunt. Et cum vas vitreum, in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri ex more Monasterij ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu BENEDICTVS signum crucis edidit, & vas, quod longius tenebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, ac si in illo vase mortis, pro cruce lapidem dedisset. *b* In-

telle-

tellexit protinus Vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque illico surgens, vultu placido, mente tranquilla, conuocatos fratres alloquutus est, dicens: Misereatur vestri, fratres, omnipotens Devs: quare in me facere ista voluistis? Nunquid non priùs dixi vobis, quia vestris ac meis moribus minimè conueniret? Ite, & iuxta vestros mores patrem vobis quærite: quia posthac me habere minimè potestis. Tumque ad locum dilectæ solitudinis redijt, & solus in superni spectatoris oculis habitauit secum.

PETRVS.

Minus patenter intelligo, quidnam sit; Habitauit secum.

GREGORIVS.

Si Sanctus Vir contra se vnanimiter conspirantes, suæque conuersationi longè dissimiles, coactos diu sub se tenere voluisset, fortasse sui vigoris vsum & modum tranquillitatis abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinasset. Dumque quotidiè illorum correptione fatigatus, minus curaret sua, & se forsitan relinqueret, & illos non inueniret. Nam quoties per contagionis motum, nimium extra nos ducimur, & nos sumus, & nobiscum non sumus; quia nosmetipsos minimè videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abijt, portionem quam acceperat, consumpsit, vni in ea ciuium adhæsit, porcos pauit: quos cum manducare videret siliquas, & esuriret: qui tamen cum postmodum cœpit cogitare bona, quæ perdidit, scriptum de illo est. *Luca 15. Jn se reuersus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus?* Si igitur secum fuit, vnde ad se redijt? Hunc ergo venerabilem Virum secum habitasse dixerim: quia in sua semper custodia circumspectus, ante oculos conditoris se semper adspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit.

PETRVS.

Quid ergo, quòd de Apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab angelo eductus fuisset: Qui ad se reuersus, dixit:

Actor

Actor: 12: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudaeorum.*

GREGORIVS.

Duobus modis, PETRE, extra nos ducimur: quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos leuamur. Ille itaque, qui porcos pauit, vagatione mentis & immunditie sub semetipsum cecidit. Iste verò, quem Angelus soluit, eius mentem in extasim rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit. Vterq; ergo ad se rediijt: quando & ille ab errore operis se collegit ad cor: & iste à contemplationis culmine ad hoc rediijt, quod in intellectu communi vt prius fuit. Venerabilis igitur BENEDICTVS in illa solitudine habitabat secum, in quantum se intra cogitationis claustra custodiuit: nàm quotiescumque hunc contemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit.

PETRVS.

Placet quod dicis, sed quæso respondeas, si deserere fratres debuit, quos semel suscepit?

GREGORIVS.

Vt ego, PETRE, existimo, ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui, qui adiuuentur, boni. Nam vbi omnimodo de bonis fructus deest, fit aliquando de malis labor vacuus, maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum DEO ferre valeant meliorem. Vir itaque Sanctus, propter quem custodiendum staret, qui omnes vnanimiter se persequentes cerneret? Et sæpè agitur in animo perfectorum, quod silentio prætereundum non est: quia cum laborem suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Vnde ille quoque egregius prædicator, *Philip: 1.* qui dissolui cupit, & cum Christo esse, cui viuere Christus est, & mori lucrum, qui passionum certamina non solum ipse appetijt, sed ad toleranda hæc & alios accendit, *Actor: 9.* Damasci persecutionem passus, vt posset euadere, murum, 2. *Cor: 11.* funem, sportamq; quæsiuit, seque la-

tentem

tenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore JESV testatur appetere? Sed cum in eodem loco minorem sibi fructum adesse conspiceret, & graui labore ad laborem se alibi cum fructu seruauit. Fortis enim præliator DEI teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. Vnde idem quoque Venerabilis BENEDICTVS, si libenter audis, citiùs agnoscis: quia non tantos ipse indociles deseruit, quantos in locis alijs à morte animæ suscitauit.

PETRVS.

Jta esse vt doces, & manifesta ratio, & prolatum congruum testimonium declarat. Sed quæso, vt de vita tanti patris ad narrationis ordinem redeas.

GREGORIVS.

Cùm Sanctus Vir diu in eadem solitudine virtutibus signisq; succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis DEI seruitium sunt congregati; ita vt illic duodecim *c* monasteria cum omnipotentis JESV Christi Domini opitulatione construeret, in quibus statutis patribus duodenos Monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptiùs erudiri iudicauit. Cœpêre etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere, suosq; ei filios omnipotenti DEO nutriendos dare. Tunc quoq; bonæ spei sũas soboles, Eutychius Maurum, *d* Tertullius verò patricius Placidum tradidit: è quibus Maurus iunior, cum bonis polleret moribus, magistri adiutor cæpit existere: Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos.

a Abbas constituitur.

ANAGRAMMA.

Ob curas Titan subit.

IAm fama velox ocyor Icaro,
Remotiores Hesperiæ plagas
Vagata, Sublacum colentis
Detulerat pia facta, Diui.
Fatalis vni cum Lachesis colo
Deducta vitæ stamina Præsuli
Seuera fregit, constituti
Mortis ad imperium diei
Momenta seruans. Protinus orphani
Fratres Parentem dum cupiunt nouum,
Virtute cuius sparsa totum
Fama volat celebris per Orbem,
Virum requirunt. Consilio pari
Votisq; eisdem quem sibi deligunt,
Et Præsulis volunt honore
Cœnobij moderari habenas.
Sic illa in antro sub modio velut
Quæ lux latebat, clarior emicat
Situ altiori collocata;
Sicq; magis radians videtur.
Effectus Abbas sollicitudinis
Curæq; præstans munia debitæ,
Fulgentior Titan *diurno*
Namq; subit BENEDICTVS *astro.*

b Signo Crucis vas venenatum frangit.

ANAGRAMMA.

Cùm sic agit, nónne fugans erat virus?

VT infulatis celsus honoribus,
Magnique summus Cœnobij Pater,
Virtutis astro fulgurante
Enituit BENEDICTVS Abbas;

Suum

Suum gubernans, non secus ac bonus
Ouile Pastor, sollicitudine
Implere susceptum laborat
Officium vigilantiore.
Nunc à sacrato tramite deuios
Sermone blando corripit, acriùs
Nunc vrget, Abbatisque pleno
Imperio reprimit rebelles.
Quam quisque summo sidereæ domus
Vouit Monarchæ, moribus integram
Seruare vitam mandat omnes,
Ne stygios patiantur ignes.
Pœnis Auerni nam grauioribus
Tonante nullus vindice subditur,
Quàm facta qui Numen colendi
Fœdifragus sua vota spernit;
Periculorum Præsulis & memor
Non corrigentis crimina subditi,
Radice primâ pullulantem
Flagitij BENEDICTVS ardet
Auferre ramum. Brachia viribus
Adhuc tenellis dum gerit impotens,
Hunc erigit sudore nullo,
Aut resecat fruticem colonus:
Sed longiori luxurians comâ
Dum celsiorem creuit in arborem,
Ridet colonos, & securim,
Nec Boreæ metuit furorem.
Neglecta primùm pertenuis licet
Scintilla, nunquid sæpiùs excitat
Incendium magnæ ruinæ,
Et varias populatur vrbes?
Sic vita prauis moribus insolens,
Primi sub ipsis principijs mali,
Est corrigenda, tardioris
Imperij renuit lupatum.

Quid dissolutæ, quos nimium tenet
Antiqua vitæ, praua licentia,
Virtutis excitare fratres
Ad studium, BENEDICTE, gestis?
Frustrà laboras. Desine, desine
Venti loquelas spargere flamini;
Monere iussis perduelles
Atque tuis BENEDICTE cessa.
Vides vt alto celsa cacumine
Mens subditorum, non secus ac suis
Annosa ramis est Cupressus,
Sidereæ minitetur æthræ.
Verbis monendo non tamen abstinet.
Hortatur, vrget: dum ratio iubet,
Castigat, & duro nocentes
Imperio rigidus coërcet.
Hæc dirigentis cuncta sed irrito
Labore fiunt. Pronior in malum
Natura, Patris iussa spernens,
Deterius facit ire fratres.
Odêre vocem; verba diutius
Audire nolunt. pœnitet hunc sui
Concordibus votis seuerum
Cœnobij statuisse Patrem.
Obscuriori, quod coluit priùs,
Viuens sub antro, tegmine frondium
Latere vellent, derelicto
Officio moderationis.
Latere vellent, aut etiam necis
Acutiori vulnere saucium
Telluris, orbatum calore,
Visceribus posuisse corpus.
Quousque pergis praua licentia?
Quod crimen audes Numinis immemor
Amens voluntas? quóue tandem
Flagitio nocuisse tentas?

Venena fratres, ô pudor! ô scelus!
Infusa paruo dant cyatho Patri
Admixta vino, fella dulci
Sparsa mero tribuuntq; mortis.
Oblata Diuus sed cruce præuiâ
Signando lethi pocula, protinus
Sic fregit: ac nostræ salutis
Signa crucis lapides fuissent.
Hâc arte sciuit pocula luridos
Tulisse potus luctificæ necis,
Impressa quæ veræ nequibant
Signa sibi retinere vitæ.
Is concitato non tamen impetu
Arsit furoris, sed lacrymis sua
Spargens obortis labra Diuus
Flagitium doluit patratum.
Ipsisq; toto pectore fratribus
Crimen remittens, hoc monuit scelus
Dolere factum; sicq; solus
Ad solitos rediit recessus.

c Duodena claustra erigit.

A N *A* G *R A* M M *A.*

Clara et digna DEO virtus.

SVb cauernoso nemorum recessu
Quis queat clarum radio nitente
Fulgidi longo retinere solis
Tempore lumen?
Clauditur nullis tenebris, vel antris,
Quod iubar, cæli veniens ab arce,
Flammeo toti rutilante curru
Spargitur Orbi.

Emicat, clausis caput ex cauernis
Exerit lumen, patulósque gaudet
Fronte ridenti radians per agros
Posse videri.
Flamma quæ facto venit igne fulgens,
Semper assurgit, celerique magnas
Aëris partes resecans, volatu
Tendit ad alta.
Clara *sic semper superísque* digna
Non potest mentis latitare virtus,
Emicat, toto decus & nitoris
Spargit in Orbe.
Præsulis curâ Monachos regentis
Gaudet amissâ, rediisse Diuus
Ad lares, densâ BENEDICTVS *antri*
Fronde virentes.
Abditus cunctis cupit hic latere,
Solus & CHRISTO *pia vota ferre;*
Optimo prodit subitò sed illum
Indice virtus.
Hunc viri magno pietatis æstu
Feruidi quærunt, sine labe vitam
Vt queant eius, Superis sacrare
Dogma secuti.
Hæret his visis, dubiósque fluctus
Mente peruoluit BENEDICTVS; *illum*
Hinc amor lustri mouet, inde turbæ
Cura salutis.
Sed quid incertas dubij procellas
Mente non fixâ BENEDICTE *versas?*
Num vides quantus pietatis illos
Possidet ardor?
Igne, quem Diuus posuit Cupido,
Cerne quàm magno caleant medullæ:
His tuæ flammis documenta debes
Addere vitæ.

Annu-

Annuit Diuus monitis Tonantis;
Vt queat paucis sociatus esse,
Rupe sub celsâ medijs in antris
Collocat ædem.
Illa sed cunctos Superûm ministros
Dum nequit factis retinere claustris,
Proximos rupi statuit secundos
Monte penates.
Postmodum crescens numerus clientum,
Quos amor vitæ Monachalis, ædes
Vrget ad sacras properare, Diuum
Claustra locare
Sena bis cogit procul haud remota:
Cuncta quæ Diui meritò gerentis
Nomen Abbatis, vigili labore
Cura gubernat.

d Tertulli & Eutichij natos suscipiens

ANAGRAMMA

Sanctè viuit, & sic piè illos instruet.

D*Vm virtus Monachi fulgida Nursij,*
Curæ iuncta Patris sollicitæ, suos
Quâ fratres habitis legibus instruit,
Crescens per geminas fuit
Solis vecta vias: seu maris igneas
Quà lassus tremulis mergit aquis rotas,
Seu surgens nitidum quà caput exerit
Mundo lumina conferens,
Ad sese spatio dissita maximo
Perducens hominum pectora, nobilis
Tertulli sobolem Romuleæ inclyti
Gentis stemmate fulgido;

Nec

Nec non Eutichij, quem proauum genus
Reddebat parili ſanguine nobilem,
Traxit ſidereo flamine filium.
Ambos hos iuuenes Pater
Informat ſimili lege Monaſticus:
Et quamuis reliqui ſat vigilans gregis,
Vt paſtor gereret ſollicitudinem;
Hos maioribus attamen
Exornat ſtudijs, vtpotè cæteris,
Quos fulgere magis ſtemmate conſpicit,
Hos virtute ſimul præ reliquis magis
Spectandos faciat viros,
Sanctè *ſanctus enim* viuit *vt integer,*
Et purus ſceleris, ſic *pius* inſtruit
In virtute, dato munere Numinis
Quos optat ſimiles ſibi,

CAPVT IV.

De caſtigatione Monachi vagi.

IN vno autem ex eis Monaſterijs, quæ circumquaq; conſtruxerat, quidam Monachus erat, qui ad orationem ſtare non poterat: ſed mox vt ſe fratres ad ſtudium orationis inclinabant, ipſe egrediebatur foras, & mente vagâ terrena aliqua & tranſitoria agebat. Cumque ab Abbate ſuo ſæpiùs fuiſſet admonitus, ad Virum DEI deductus eſt, qui ipſe quoque ſtultitiam eius vehementer increpauit, & ad monaſterium reuerſus, vix duobus diebus viri DEI admonitionem tenuit. Nam die tertiâ ad vſum proprium reuerſus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cum ſeruo DEI ab eodem monaſterij patre quem conſtituerat, nuntiatum fuiſſet, dixit: Ego venio, eumque per memetipſum emendo. Cumque vir DEI veniſſet ad idem monaſterium, &

con-

constitutâ horâ expletâ psalmodiâ sese fratres in orationem dedissent, aspexit quod eundem monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret. Tunc eidem patri monasterij, Pompeiano nomine, & Mauro DEI famulo secretè dixit: nunquid non aspicitis quis est, qui istum monachum foras trahit? Qui respondentes dixerunt: Non. Quibus ait: Oremus vt vos etiam videatis, quem iste monachus sequitur. Cumque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit: Pompeianus verò eiusdem monasterij Pater videre non potuit. Die igitur aliâ, expletâ oratione vir DEI oratorium egressus, stantem foris monachum reperit, quem pro cœcitate cordis sui, virgâ percussit: qui ex illo die nil persuasionis vlterius à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: Sicque antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere.

Monachum percutiens, diabolum fugat.

ANAGRAMMA

Id virga cum hoste factum planè bonum.

DAmnis piorum tempore sit licet
Intentus omni Tartareus Leo,
Omnique virtutis repugnet
Vsque operi metuendus hostis.
Orationis vim metuens magis,
Quam nouit instar turris eburneæ,
In cuius arma celsiore
Multa tholo Deus ipse fixit.
Huic grandiores insidias parat,
Illámque multo concutit impetu
Ferociori, nec quiescit,
Donec eam sibi subdat hostis.

Cùm turba fratrum cætera laudibus
Dei vacaret, votáque redderet
Quæ ferre mandat congregatos
Relligio Monachos in vnum;
Tentator vnum de numero trahens
Fratrem malignus, sæpiùs egredi
Choro iubebat, nè Tonanti
Cum reliquis sua vota ferret.
Id cùm notaret sollicitus Pater,
Vultus nigrantes Æthiopem velut
Infantulum vidit gerentem,
Qui tunicâ Monachum trahebat.
Vir sanctus hostis callida protinus
Noscens dolosi consilia, hunc preces
Fratrem inchoatas deserentem
Corripuit feriendo virgâ.
O verberantis quanta potentia!
Virgæ lacertos quo Monachi ferit,
Dolos eodem pellit hostis
Tartarei BENEDICTVS *ictu.*

CAPVT V.

De fonte in vertice montis viri DEI *oratione producto.*

EX his autem monasterijs, quæ in eodem loco construxerat, tria sursum in rupib⁹ montis erant, & valdè erat fratribus laboriosum, quòd semper ad lacum oportebat descendere, vt aquam haurire debuissent: maximè quia è deuexo montis latere erat graue descendentibus in timore periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasterijs, ad DEI famulum BENEDI-

CTVM

CTVM venerunt, dicentes: Laboriosum nobis est propter aquam quotidie vsq; ad lacum descendere, & idcirco necesse est, ex eodem loco monasteria mutari. Quos blandè consolans dimisit, & nocte eadem cum paruo puerulo nomine Placido, cuius superiùs memoriam feci, eiusdem montis rupem ascendit, ibique diutiùs orauit. Et oratione completâ tres petras in loco eodem pro signo posuit, atque ad suum, cunctis illis nescientibus monasterium redijt. Cumq; die aliâ ad eum pro necessitate aquæ prædicti fratres redijssent, dixit: Ite & rupem illam, in quâ tres super inuicē positas petras inueneritis, in modicū cauate: valet enim omnipotens DEVS etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes rupem montis, quam BENEDICTVS prædixerat, iam sudantem inuenerunt. Cumque in ea concauum locum fecissent, statim aqua repletus est: quæ tam sufficienter emanauit, vt nunc vsque vbertim defluat, atque ab illo montis cacumine vsque ad inferiora deriuetur.

Fontes miraculosè educit.

ANAGRAMMA.

Ideo factus meritò lucens.

QVi fuit alati productus ab vngue Caballi.
Fontem Parnassi, desine Musa loqui.
Est satis accensam nimio quoque fratris amore
Cantasse effectam Biblida fontis aquam.
Ægeriam pariter mutato corpore lympham
Dum Pimplæa refers, quid nisi stulta refers?
Quos stupeas fontes, dignâ celebrésque Camœnâ,
Producit meritò *Nursius ecce Pater.*
Quæ noua præcelso fuerant in monte locata,
Nulla scatens riuis claustra rigabat aqua.

Fluminis hausturos vndas, descendere magnus
Cogebat Monachos vallis ad ima labor.
Hinc variare petunt quæ sunt in montibus ædes,
Et cupiunt alio Claustra parare loco.
Sed Pater hic verbo fratres solatus amico.
Æthereo promptam munere spondet opem.
Et postquam precibus noctem est traducere visus,
Cum socio egrediens culmina montis adit.
Tres ibi mox fontes terram penetrante ligone
Eruit, & claustris largior vnda fluit.
Vnius vt Clemens est fontis origine lucens,
Fontibus hic lucens *sic tribus esse potest.*
Dum sitis Hebræos vastæ torreret eremi,
Educta vt Mosen concelebrauit aqua;
Sic meritò lucens *laudes* BENEDICTVS *auitas*
Exigit, & clarum limpida vena facit.
Quas igitur Moses, Clemens, & cætera Diuûm
Turba tulit laudes, has BENEDICTVS *habet.*

CAPVT VI.

De reiunctione ferri cum manubrio.



ALio quoque tempore Gothus quidam pauper spiritu, ad conuersionem venit: quem DEI Vir BENEDICTVS libentissimè suscepit. Quadam verò die ei dare ferramentum iussit, quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur, vt de loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse quem mundandum Gothus susceperat, super ipsam laci ripam iacebat. Cumque Gothus idem densitatem veprium totius virtutis annisu succideret, ferrum de manubrio prosiliens in lacum cecidit, vbi scilicet tanta erat aquarum profunditas, vt spes requirendi ferramenti nulla iam esset. Itaque ferro

ferro perdito, tremebundus ad Maurum monachum cucurrit: Gothus damnum quod fecerat nunciauit, & reatus sui egit pœnitentiam. Quod Maurus quoque monachus mox BENEDICTO famulo DEI curauit indicare. Vir igitur Domini BENEDICTVS hæc audiens, accessit ad lacum: tulit de manu Gothi manubrium & misit in lacum: & mox ferrum à profundo rediit, atque in manubrium intrauit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit, dicens: Ecce labora, & noli contristari.

Diuus falcem Gothi reparat.

ANAGRAMMA.

Clarus per fidem agit vota.

EST occulta trahens procul remota
Magnetis meritò stupenda virtus;
Nursini sed eam præit Parentis:
Quod iam prodigium referre nostra
Intendit tenui Thalia versu.
Ad ripam fluuij Gothus rapacis
Scindebat grauido vepres labore,
Cùm nudata suo manubrio falx
Vicinas abijt lacus per vndas.
Ad ripam subitò venit vocatus,
Acceptum gelidis manubriúmque
Dum demergit aquis Dei Minister,
Falx, sic vt celeres mouere nando
Greßus docta foret (stupore dignum
Magno prodigium) manubrio vndis
Se merso socians, lacum relinquit.
Clarus *sic peragens Dei fauore*
Diuus vota *tenet*, fidémque *monstrat.*

CAPVT VII.

De ambulatione Mauri super aquam.

QVadam verò die dum idem Venerabilis BENEDICTVS in cella consisteret, prædictus Placidus puer, Sancti Viri Monachus, ad hauriendam de lacu aquam egressus est, qui vas quod tenuerat, in aquam incautè submittens, ipse quoque cadendo sequutus est. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius sagittæ cursum eum à terra introrsus traxit. Vir autem DEI intra cellam positus, hoc protinus agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille, qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit, iamque eum longiùs vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolum inusitata. Benedictione etenim postulatâ atq; perceptâ, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaque vsque ad eum locum, quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit, eumque per capillos tenens, cursu rapido rediit. Qui mox vt terram tetigit, ad se reuersus, post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisset, agnouit; & quod præsumere non potuisset, vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaque ad patrem, rem gestam retulit. Vir autem venerabilis BENEDICTVS hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ deputare cæpit. At è contrà Maurus pro solo eius imperio factum dicebat, seque conscium in illa virtute non esse, quam nescius fecisset. In hac itaque mutuâ humilitatis & amica contentione, accessit arbiter puer, qui ereptus est, nam dicebat: Ego cùm ex aqua traherer, super caput meum melotem Abbatis videbam, atq; ipsum me ex aquis educere considerabam.

PETRVS.

Magna sunt valde, quæ narras, & multorum ædificationi profutura: ego autem boni viri miracula, quò plus bibo, eò plus sitio.

Diuus

Diuus Maurus ſuper vndas incedit

ANAGRAMMA.

Pius curſu ardens ad nutum Dei ſui.

PArvus adhuc primæ peragens lanuginis annos
Cœnobio iunctum lymphas hauſturus ad amnem,
Facta ſibi Placidus Patris mandata capeſſens
Iuerat; at rapidis cùm vas immergeret vndis
Decidit, à ripâ ſubitò multúmque recedens
Inter aquas animam morti vicinus agebat.
Non Diuum ſobolis latuêre pericula Patrem;
Ille ſed in cellâ precibus cùm ex more vacaret,
Protinus agnoſcens in quo diſcrimine vitæ
Verſatur Placidus, Maurum iubet ociùs ad ſe
Ferre gradum, cui mox venienti talia profert:
Alueus en Placidum prono rapit impete lapſum;
Accelera, & Fratrem, ſi quis modus, eripe morti.
Dixerat: Ille Noto citiùs volucríque ſagittâ
Currit, & à ripa puerum (mirabile dictu)
Diſtantem ſequitur, dextra quem crine prehenſum
Proximiora celer præiens ad littora ducit.
Vt terram tetigit ſenſus habuítque priores,
(Hos etenim nimio ſaluandi fratris amore
Perdiderat) magni rapidas iuiſſe per amnis
Se miratur aquas. Proprio perterritus actu,
Non ſecus ac victo Cadmus ſerpente, peractum
Spectat opus: tamen haud victor ſibi plaudit in illo;
Sed BENEDICTE *tuâ partum virtute trophæum*
Cognoſcens, meritò Patris deponit ad aras
Arma, quibus fluidos fecit ſolidare liquores
Naiades, vt morti ſocium ſubducere poſſet.
Quid Nati refugis Pater acceptare triumphum?
Facta quid hæc meritis ſanctæ miracula vitæ

Aſcri-

Asscribi renuis? prô quanta modestia Diui!
Maurus vt auctori proprio miracula Patri
Acta refert: Pater hæc potiùs sed munere Mauri
Ad sua parentis promptè mandata, fuisse
Signa Dei collata manu contendit, & inter
Illos exoritur sanctæ discordia mentis.
O fœlix animi nimiùm dissensio, ferri
Quâ bene promeriti nolunt sibi munia laudis!
Dum laudem fugiunt, corpus velut vmbra, fugaces
Laus retrò sequitur, palmas quæ præbet vtrique.
Te BENEDICTE *manet facti celebrata per Orbem*
Gloria prodigij, qualis non dignior vlla
Esse potest. Homines quantum conferre Tonanti
Possumus, ista parem CHRISTO *te gloria reddit:*
Petrus & hoc facto, tu Maure, secundus haberis.

CAPVT VIII.

De infecto per venenum pane, per coruum longius proiecto.



Vm iam loca eadem in amorem Domini DEI nostri JESV Christi longè lateque feruescerent, & sæcularem vitam multi relinquerent, & sub leni Redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent: (sicut mos prauorum est inuidere alijs virtutis bonum, quod ipsi habere non appetunt) vicinæ Ecclesiæ presbyter Florentius nomine, huius nostri Subdiaconi Florentij auus, antiqui hostis malitiâ percussus, Sancti Viri studijs cæpit æmulari, eiusque conuersationi derogare: quosque etiam posset ab illius visitatione compescere. Cumq; iam se conspiceret eius profectibus obuiare nonposse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris, ipso quoque opinionis eius præconio indesinenter vocare, inuidiæ facibus magis magisq;

gisque succensus, deterior fiebat: quia conuersationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiusdem inuidiæ tenebris cœcatus, ad hoc vsque perductus est, vt seruo Omnipotentis Dei infectum veneno panem *a* quasi pro benedictione transmitteret. Quem Vir Dei cum gratiarum actione suscepit: sed eum, quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicinâ siluâ coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cum more solito venisset, panem quem presbyter transmiserat, vir Dei ante coruum proiecit, eique præcepit, dicens: In nomine Iesv Christi Domini nostri tolle hunc panem, & tali eum in loco proijce, vbi à nullo hominum possit inueniri. Tunc coruus aperto ore, expansis alis circa eundem panem cœpit discurrere, crocitare, ac si aperte diceret, & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui vir Domini præcipiebat iterum, atque iterum, dicens: leua, leua securus, atque ibi proijce, vbi inueniri non possit. Quem diu demoratus, quandoque coruus momordit, leuauit, & recessit. Post trium vero horarum spatium abiecto pane redijt, & de manu hominis Dei annonam, quam consueuerat, accepit. Venerabilis autem pater contra vitā suam inardescere Sacerdotis animum videns, illi magis quam sibi doluit. Sed prædictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorum animas accendit: ita vt in horto cellæ, cui Benedictvs inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas *b* mitteret, quæ coram eis sibi inuicem manus tendentes & diutius ludentes, illorum mentes ad peruersitatem libidinis inflammarent. Quod vir Sanctus de cella conspiciens, lapsumque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idque pro sui solius persecutione fieri pertractans, inuidiæ locum dedit, atque oratoria & cuncta quæ construxerat, substitutis Præpositis, adiunctis fratribus ordinauit, & paucis secum monachis ablatis habitationem mutauit loci. Sicq; Vir Dei eius odia humiliter declinauit, quem Omnipotens Devs terribiliter percussit. Nam cùm prædictus presbyter stans in solario Benedictvm discessisse cognosceret, & exul-

taret, perdurante immobiliter totâ domus fabricâ, hoc ipsum tantùm in quo ſtabat ſolarium cecidit, & BENEDICTI hoſtem conterens extinxit. Quod viri DEI diſcipulus Maurus nomine, ſtatim venerabili Patri BENEDICTO, qui adhuc à loco eodem vix decem millibus aberat, æſtimauit eſſe nuntiandum, dicens: Reuertere, quia presbyter qui te perſequebatur extinctus eſt: Quod vir DEI BENEDICTVS audiens, ſeſe in grauibus lamentis dedit, vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte diſcipulus exultauit. Quâ de re factum eſt, vt eidem quoque diſcipulo pœnitentiam indiceret, quòd mandans talia, gaudere de inimici interitu præſumpſiſſet.

PETRVS.

Mira ſunt & multum ſtupenda quæ dicis: Nam in aquâ ex petrâ productâ Moyſen: *Exod*: 6. 6. in ferro verò, quod ex profundo aquæ rediјt, 4. *Reg*: 6. Heliſæum: in aquæ itinere, *Math*: 14. Petrum: in corui obedientia, 3. *Reg*: 17. Eliam: in luctu autem mortis inimici, 2. *Reg*: 1. Dauid video: & perpendo, quia vir iſte ſpiritu iuſtorum omnium plenus fuit.

GREGORIVS.

Vir DEI BENEDICTVS, Petre, vnius DEI ſpiritum habuit, qui per conceſſæ redemptionis gratiam, electorum corda omnium impleuit, de quo Ioannes dicit: *Ioan*: 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* De quo rurſus ſcriptum eſt: *Ioan*: 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Nam Sancti DEI homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam alijs tradere. Ille autem ſigna virtutis dedit ſubditis, qui ſe daturum ſignum Ionæ, promiſit inimicis: vt coram ſuperbis mori dignaretur, coram humilibus reſurgeret: quatenus & illi viderent, quod contemnerent, & iſti quod venerantes amare debuiſſent. Ex quo myſterio actum eſt, vt dum ſuperbi aſpiciunt deſpectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam poteſtatis.

PETRVS.

Quæſo te, poſt hæc, ad quæ loca vir Sanctus migrauerit, vel

si aliquas in eis virtutes, postmodum ostenderit, innotesce.

GREGORIVS.

Sanctus vir ad alia demigrans loca non hostem mutauit. Nã tantò post grauiora prælia pertulit, quantum contra se apertè pugnantẽ, ipsũ malitiæ magistrũ inuenit. Castrũ namq; quod Casinũ dicitur in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrũ recipit, sed per tria millia in altum se subrigens velut ad âëra cacumen tendit: vbi vetustissimum fanum fuit, in quo antiquorum more gentilium à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu dæmonum luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo Sacrificijs sacrilegis insudabat. Illuc itaque Vir DEI perueniens contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis, Oraculum B. Martini, vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum Sancti Ioannis construxit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continuâ ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè, vel per somnium, sed apertâ visione eiusdem Patris oculis sese ingerebat, & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent, quamuis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis Venerabilis Pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus & succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus sæuire videbatur. Jam verò quæ diceret audiebant omnes: priùs enim hunc vocabat ex nomine. Cui cùm vir DEI minimè responderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cum clamaret, dicens: BENEDICTE, BENEDICTE, & eum sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adiungebat, Maledicte non BENEDICTE, quid mecum habes? quid me persequeris? sed iam nunc spectanda sunt contra DEI famulum antiqui hostis noua certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriæ ministrauit inuitus.

a Donum panis venenati.

ANAGRAMMA.

Sanè non piè vni datum.

INdutus Tyrio saturatam murice vestem,
Mundáque detersis gestans talaria plantis,
Et pallâ verrente solum comptísque capillis,
Cecropis ingressus regalia tecta Parentis,
Illius vt natæ thalamos caducifer Herses
Mercurius peteret; natu soror altera maior,
Quam sibi Athlantiades optabat habere fauentem,
Cùm non vellet opem, magno nisi pondere nummi
Ferre Deo; rigidæ succensâ Palladis irâ
Inuidiæ tanto fuit exagitata furore,
Iugiter vt thalamos, fortunatumq́; sororis
Coniugium versans animo, non munera somni,
Nec potum, lautasq́; dapes, quas regia Patris
Mensa ministrabat, felicibus inuida tædis
Sumeret, & fuso per viscera cuncta veneno
Inuidiæ putri lentâq́; miserrima tabe
Deficiens, tenues omnino abiisset in auras,
Ni sibi claudentem venienti limen, Athlantis
Pleionésque nepos, iustas effusus in iras
Mutasset. Sceleris crudelius esse veneno
Inuidiæ nihil esse potest. Hæc noxia pestis
Extenuat corpus, fortes frangitque lacertos,
Ante diem stygias animósque relegat ad vndas.
Talis erat sanctis BENEDICTI *Presbyter actis*
Inuidus; huius erat nomen Florentius, omen
Nominis at pulchri non conuenienter adeptus.
Quam seruare nequit vitam, morésque pudicos
Improbat hic Diui. Ratio non altera tristis
Inuidiæ solet esse: virum virtute dolosâ,

Mori-

Moribus & factis BENEDICTVM *prædicat esse,*
Qui sibi diuitias Monachali tectus amictu
Quæreret impostor; quas dum cumularit abundè,
Mentitæ studium pietatis linqueret omne.
Inclyta sed cunctis BENEDICTI *cognita virtus,*
Talia pestiferæ non sentit spicula linguæ:
In caput auctoris nullo iaculante sed illa
Prosiliunt. Quid aget miserandus Presbyter? ecce
Prô pudor! inuidiæ zelo meditatur, & audet
Indignum facinus. BENEDICTO *tollere vitam*
Pane venenato, donat quem muneris instar,
Nititur: at fraudes noscens BENEDICTVS *opertas,*
Accipit hunc panem, læto vultúque ferenti
Dum grates retulit, venienti protinus illum
Proÿciens coruo, panem iubet abdere syluis.
Iussa facit timidè, veluti si toxica coruus
Nosceret, & circum postquam volitando periclum
Est visus pandisse doli, sibi facta peregit
Iussa Patris, panem ignotis & condidit antris.

Nudæ tripudiantes in horto sunt puellæ.

ANAGRAMMA.

Non pudet illas; ô ritè puniantur à te DEVS!

P*Ane venenato* BENEDICTI *perfidus hostis*
Presbyter, vt vidit se non potuisse beato
Eripuisse Patri vitam, maioribus actus
Inuidiæ stimulis, animas occidere fratrum,
Absque tamen gladio, factâ nec cæde parauit.
Cœnobio iunctus varijs cultissimus herbis,
In cellâ positi poterant quem cernere fratres,
Hortus erat: famulus Ditis, CHRISTIq; *minister*
Illius in medio nudas sine veste puellas *Pre-*

Presbyter alterno choreas pede ducere mandat.
O ſcelus! ô quidnam mortalia pectora cogis
Inuidiæ feruor! Pater hæc ſpectacula Diuus
Vt vidit, metuens caſus, & damna ſuorum,
Protinus vt nitido fulſit lux poſtera cœlo,
Fratribus electis, eius qui fræna tenere
Cœnobij poſſent, paucis comitatus abiuit.
Sed tanti ſceleris vindex qui nulla relinquit
Impunita Deus, *tecto labente nefandum*
Presbyterum oppreſſit. Triſtis quæ nuntia caſus
Accipiens alto Diuus ſuſpiria duxit
Pectore, & effuſis miſerandi fletibus hoſtis
Ingemuit caſum, CHRISTI, *Stephaniq́; ſecutus*
Exemplum. Pietas non eſt ſublimior vlla,
Quàm benè velle hoſti, nullis damniſque moueri.

Idola Caſsini euertuntur.

ANAGRAMMA.

DEVS venit, colatur in aris.

IAm Deus *humanam natus de Virgine formam*
Induit, vt dignum eſt, fumante colatur in aris
Thure ſacris. Quid adhuc pateris ſimulacra Deorum
Vir, BENEDICTE, *Dei feruens qui totus honore*
Caſſini frondoſa petis faſtigia montis?
Iam Deus aduenit, BENEDICTE, colatur in aris.
Non bene conueniunt, nec in vna ſeſe morantur
Rex Erebi, rectorq́; Poli. Cum Dæmone CHRISTVS
Nil commune gerit: toto dominetur in Orbe,
Vt ratio dictat, totum qui condidit orbem.
Iam Deus aduenit, *taliſq́;* colatur in aris:
Templa ruant quæcumque Dijs ſacrata profanis.
Iam iuuat accenſâ lucos euertere flammâ,
Et nemus inciſum ſtrictâ violare ſecuri.

Cedat Apollo Deo, terris sit Iupiter exul;
Juno, Diana, Venus Diuo priuentur honore,
Illi dentq́; locum, solus qui Numen habetur,
Aduenitq́; Deus. *Per te* BENEDICTE, *profani*
Sint procul hinc ritus; CHRISTVSq́; colatur in aris.
Iussa Dei BENEDICTVS *agit; nemus omne repurgat,*
Cassiniq́; omnes latebras perlustrat, & aras
Funditus euertit. Magno cum murmure montis
Dæmones, antiquas debent dum linquere sedes,
Circum claustra fremunt, voces ad sidera tollunt
Horrendas, tremulisq́; vlulatibus aëra complent.
Consonat omne nemus, strepitu collesq́; resultant.
Terribiles visu formæ, syllæq́; biformes,
Multáque prætereà variarum monstra ferarum,
Aëra per vacuum ferri sublimè videntur.
Sicq́; repurgato Cassini vertice montis
Pieridum ficto steterant vbi fana Parenti,
Magnifica extruxit BENEDICTVS *templa beato*
Insigni meritis Martino. Celsior extis
Ac vbi caprarum Phœbo fuit ara *litandis,*
Altera consimili Diuus fabricata decore
Baptistæ posuit BENEDICTVS *templa Ioanni.*

Marcus Poëta, Beatissimi Patris BENEDICTI discipulus, & Monachus Casinas, conuersationem sanctam, atque miracula eiusdem B. P. BENEDICTI elegiaco metro describens, inter alia, de Angelis, qui Sancto BENEDICTO, è Sublacensi commoratione, Casinum eunti, viam qua pergere deberet, monstrabant, taliter cecinit, *Cap: 12.*

Ad quam, tu ex alio monitus cum monte venires,
Per deserta tibi, Dux fuit ipse Deus.
Namque duos iuuenes, biuium perduxit ad omne,
Qui te firmarent, quod sequereris iter.
Hic quoque viuenti iussorum dixerat vni,
Hu tu parce le[illegible]u, alter amicus adest.

Idem Marcus, de tribus coruis, quos S. P. BENEDICTVS alere solitus erat, & qui eum à Sublaco Casinum vsque, per quinquaginta ferè milliari, sunt sequuti, in præconio spiritualis sui Doctoris metricè ita lusit, *Cap: 15.*

Credeque ficta loqui, nisi ternis solus abiret,
Tres subitò corui promeruere sequi.
Hîc quoque te clamant, populos qui teste requirunt,
Expectas noctis cum pia festa sacræ.
Qui velut orbati raucis tibi flere loquelis
Instant, conuictu quod caruêre tuo.
Te sibi sublato tenebris mons Cælius horret,
Et pallet nebulis concolor ipse suis.

CAPVT IX.

De ingenti saxo per serui DEI *orationem leuato.*



Vadam die dum fratres habitacula eiusdem cellæ construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificiũ leuare decreuerunt. Cumque eum duo vel tres leuare non possent, plures adiuncti sunt, sed ita immobilis mansit ac si radicitùs in terrâ teneretur, vt palam daretur intelligi, quod super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum DEI missum est, vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens benedictionem dedit, & tantâ lapis celeritate leuatus est, ac si nullum prius pondus habuisset.

Diabolus saxo inhærens repellitur.

ANAGRAMMA

Ille Nero exulans paradiso suberit.

Iam

Iam Fratrum posito sacri fundamine templi
Turba laborabat murorum attollere moles,
Artificésque alij magno conamine saxa
Vectabant humeris, atque ordine quæque locabant.
Ecce furens imis Erebi de sedibus hostis
Improuisus adest, vastisque molaribus instat.
Plurima non vni saxo coniuncta leuando
Robora sufficiunt. Virtus coit omnis in vnum:
Nil validæ possunt dextræ, labor irritus extat:
Deficiunt vires. Manet hoc immobile saxum,
Non secus ac fixis hæret radicibus arbor.
Scilicet hunc Dæmon lapidem grauitate teneri
Fecerat insolitâ. Sudant, frustráq; laborant
Artifices, Diuique petunt meliora parentis
Auxilia, exposcuntq; velit depellere sæui
Dæmonis insidias. Accedit & annotat hostem
Diuus, in immoto stygium requiescere saxo.
Signa crucis faciens, mox Dæmona surgere mandat.
Quo fugiente, niger vacuas dispersus in auras
Est fumus, densusq; vapor. Conamine paruo
Artifices tollunt magni tunc pondera saxi;
Sicque subesse Nero paradiso *cogitur* exul,
Qui prius in toto dominans regnauerat Orbe.

EPIGRAMMA.

In Dæmonem lapidi insidentem.

Impie quid gelido resides in marmore Dæmon?
Non poteras solio nobiliore frui?
Istius ast aliquod voluisti frigore saxi
Fors calidis patibus, ferre refrigerium.

CAPVT X.

De phantastico coquinæ incendio.

TVnc in conspectu Viri Dei placuit, vt in eodem loco terram foderent. Quam dum fodiendo altiùs penetrarent, æreum illic idolum fratres inuenerunt. Quo ad horam casu in coquinam proiecto, exire ignis repente visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur, ostendit. Cumque iaciendò fratres aquam ad ignem quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu Vir Dei aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis verò non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos quos phantastico reperit igne deludi vocauit, fratres monuit vt oculos suos signarent, vt & sanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, & flammas quas antiquus hostis finxerat, non viderent.

BENEDICTVS ignem sedat.

ANAGRAMMA.

Dum est agens, benedicit.

PAtre dum terram fodiunt iubente
Altiùs fratres, simulacra vani
Numinis tollunt, radiante quondam
Facta metallo.
Illa complendo, nimis impediti
Dum manus feruent operi, culinæ
Inferunt tectis, repetúntque gressu
Præpete campum.

Sed

Sed sub inuentâ latitans figurâ
Hostis Antiquus, celebri triumpho
Erui terræ cupiens latebris,
Concipit iras.
Frendet arrosis labijs & vngue,
Absque dum plausu, laribus decoram
Cernit in vilis statuam culinæ
Esse locatam.
Vltor infestus cupiens, repentè
Hoc scelus factum sibi vindicare
Subdolus fictos crepitante flammâ
Suscitat ignes.
Altior tectis vehitur culinæ
Flamma mendaci simulata formâ,
Et suo fratres operi applicatos
Territat omnes.
Protinus surgens ferit astra clamor:
Territi magnos faciunt tumultus,
Qui solent visâ simili per ignes
Esse ruinâ.
Diuus accurrit BENEDICTVS, *ignis*
Conspicit magnas, nouitate mirâ,
Nulla subiectæ nocumenta flammas
Ferre culinæ.
Dæmonis fraudem Pater iste Diuus
Detegens, nostræ pretij salutis
Signa dum fecit crucis, in vapores
Transijt ignis.

CAPVT XI.

De puero confracto à pariete, sanato.


Vrsum dum fratres parietem, quia res ita exigebat, paulò altiùs erigerent, Vir DEI in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur. Cui antiquus ho-

ſtis inſultans apparuit, & ei, quòd ad laborantes fratres pergeret, indicauit. Quod Vir DEI per nuntium celerrimè fratribus indicauit, dicens: Fratres cautè vos agite: quia ad vos hâc horâ malignus ſpiritus venit. Js qui mandatum detulit, vix verba compleuerat, & malignusſpiritus eundem parietem, qui ædificabatur, euertit, atque vnum puerulum monachum cuiuſdam curialis filium opprimens, ruina contriuit. Contriſtati omnes ac vehementer afflicti, non damno parietis, ſed contritione fratris, venerabili Patri BENEDICTO celeriter cum graui luctu nuntiarunt. Tunc idem Pater BENEDICTVS dilaceratum puerum ad ſe deferri iubet. Quem portare non niſi in ſacco potuerunt: quia collapſi ſaxa parietis, non ſolum eius membra, ſed etiam oſſa contriuerant. Præcepitq; Vir DEI ſtatim eum in cella ſua in pſyathio, quo orare conſueuerat, proijci, miſſiſque foras fratribus, cellam clauſit, qui orationi inſtantiùs quàm ſolebat, incubuit. Mira res, eadem hora hunc incolumem, atque vt priùs valentem, ad eundem iterum laborem miſit, vt ipſe quoque parietem cum fratribus perficeret, de cuius ſe interitu antiquus hoſtis BENEDICTO inſultare credidiſſet.

Reſuſcitatur Monachus.

ANAGRAMMA.

Sic charus antè mortuus.

Quamuis aperto bella Tartareus ſago
Indicat hoſtis omnibus, ſecum velit
Et in nigrantes trahere Phlegetontis lacus,
Quoſcumque cœli ſorte felici videt
In ſpem vocatos; attamen ſemper pijs
Infeſtus hoſtis, grandius bellum ciet.
Fruſtrà vibratis ſi priùs telis, nihil

Nocuerit animæ, corpori insidias parat.
Necdum peracta Lachesis eripiens colo
Hic pensa vitæ sæpius scindit manu
Nimium feroci, mortis ut subitæ malo
Cuius timendo, fortè non istâ mori
Horâ paratos mergat inferni vadis.
Quis námque vitæ ducere innocuus suæ
Sine labe totum criminis tempus potest?
Assueta Phœbus spatia decurrens poli,
Illustre terris exerit nunquam caput,
Quin parua quamuis vitia, vel lapsus leues
Videat piorum. Septies iustus cadit.
Si tanta non sint vitia, pro quibus stygis
Cogatur ignes auctor istorum pati;
Nefandus hostis gaudet in paruis tamen
Vicisse iustos: semper istorum notat
Proinde greßus, semper his fraudes parat.
Hoc concitatus ergo tentator pijs
Æstu nocendi, cùm semel murum altiùs
Pia filiorum turma BENEDICTI *Patris*
Erigere vellet, molis euertens onus
(Clamore Diui, Dæmonis fraudem & dolos
Procul videntis, cæteris lapsis fugâ)
Sic tardioris membra cuiusdam, graui
Muri ruinâ fratris imminuit, simul
Vt dißoluta non cohærerent magis.
Mox ad Parentem cæteri exanimem suum
Duxere socium, cuius extincti pius
Pater misertus, alter Elisæus velut
Feruentiori mente conceptas preces
Ad astra mittit. O stupor! mox frigido
Oratione, corpori redit calor:
Elisa rursus membra cernuntur suis
Hærere neruis, tamque perfecto modo
Animante corpus sanguine allisi simul

 Nectun-

Nectuntur artus, mortis vt frater ferens
Victa trophæum, Patris imperio, suum
Repetat laborem. Mortuus *nunquid Deo*
Suòque charus *Præsuli hic dici potest?*
Sic *æstimandum vita Monachorum docet.*

CAPVT XII.

De Monachis qui extra cellam comederant.

COEpit verò inter ista Vir DEI prophetiæ etiã spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus etiã absentia nuntiare. Mos etenim cellæ fuit, vt quoties ad responsum aliquod egrederentur fratres, cibum potumq; extra cellam minimè sumerent. Cúq; hoc de vsu regulæ sollicitè seruaretur, quadam die ad responsum fratres egressi sunt, & in eo tardiori compulsi sunt hora demorari. Qui manere iuxta religiosam fœminam nouerant, cuius ingressi habitaculum, sumpserunt cibum. Cumq; iam tardiùs ad cellam redijssent, benedictionem patris ex more petierunt. Quos ille protinus percunctatus est, dicens: vbi comedistis? Qui responderunt: Nusquam. Quibus ille ait: Quare ita mentimini? Nunquid illius talis fœminæ habitaculum non intrastis? Nunquid hos atq; illos cibos non accepistis? Nunquid tot calices non bibistis? Cumque eis venerabilis pater & hospitium mulieris, & genera ciborum & numerum potionum diceret, recognoscentes cuncta quæ egerant, ad eius pedes tremefacti ceciderunt, & se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinùs culpæ pænitentiam pepercit, perpendens quòd in eius absentiâ vltra non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent.

Diuus BENEDICTVS Propheta.

ANAGRAMMA.

Penè vt Dauid hic probus est.

HIc probus est *Monachus, magnùsque Propheta videtur.*
Penè *etiam* Dauid *creditur esse nouus.*

CAPVT XIII.

De fratre Valentiniani Monachi, quem Vir DEI *in via comedisse carpsit.*

FRater quoque Valentiniani eius Monachi, cuius superiùs memoriã feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui vt Serui DEI orationem perciperet, & germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellam eius ieiunus venire consueuerat. Quâdam igitur die, dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adiunxit, qui sumendos cibos in itinere portabat. Cumque iam hora tardior excreuisset, dixit: veni Frater sumamus cibum, ne lassemur in viâ. Cui ille respondit: Absit Frater, hoc non faciam: quia ad Venerabilem Patrem BENEDICTVM ieiunus semper peruenire consueui. Quo respõso percepto ad horam conuiator tacuit. Sed cùm post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit, vt manducarent. Noluit consentire qui ieiunus peruenire decreuerat. Tacuit quidem qui ad manducandum inuitauerat, & cum eo ieiunus adhuc pergere modicum consensit. Cumque iter longius agerent, & eos tardior hora fatigaret, ambulantes inuenerunt in itinere pratum & fontem, & quæque poterant ad reficiendum corpus dele-

delectabilia videri. Tunc conuiator ait: Ecce aqua, ecce pratum, ecce amœnus locus, in quo possumus refici & parum quiescere, vt valeamus iter nostrum postmodùm incolumes explere. Cùm igitur & verba auribus & loca oculis blandirentur, tertiâ admonitione persuasus, consensit & comedit: vespertinâ verò horâ peruenit ad cellam. Præsentatus autem Venerabili BENEDICTO patri, sibi orationem petijt: Sed mox ei vir Sanctus hoc quòd in viá egerat improperauit, dicens: quid est frater quod malignus hostis, qui tibi per conuiatorē tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertiò verò persuasit, & tè ad hoc quod voluit superauit? Tunc ille reatū infirmæ suæ mentis agnoscens, eius pedib⁹ prouolutus tantò magis cœpit culpam deflere & erubescere, quanto se cognouit etiam absentem in BENEDICTI Patris oculis deliquisse.

PETRVS.

Ego Sancti Viri præcordijs Helisæi Spiritum video inesse, quia absenti discipulo præsens extitit.

In Prophetias Sancti Patris.

EPIGRAMMA.

PRisca suos sileat veteres celebrare Poëtas,
Audeat haud vltra, laurea dona dare:
Vnicus eripuit cunctis palmam BENEDICTVS,
Quod fuit, & quod fit, quæq; futura videns.
Infirmi frangunt quondam ieiunia Fratres,
Quod factum celant, explicat ipse Pater.



CA-

CAPVT XIV.

De simulatione Regis Totilæ deprehensa.

GREGORIVS.



Portet Petre vt interim sileas, quatenus adhuc maiora cognoscas. Gothorum namque temporibus, cum Rex eorum Totila Sanctum Virum prophetiæ habere spiritum audisset, ad eius monasterium pergens, paulò longiùs substitit, eique se venturum esse nuntiauit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset vt veniret, ipse, sicut perfidæ mentis fuit, an Vir DEI prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam verò eius spatarius Riggo dicebatur, cui calceamenta sua præbuit, eumque indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in personâ suâ pergere ad DEI hominem præcepit. In cuius obsequio tres, qui sibi præ cæteris adhærere consueuerant. Comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum & Blindinum, vt ante serui DEI oculos ipsum Regem Totilam esse simulantes, eius lateri obambularent, cui alia quoque obsequia quasi spatarij præberent, vt tam ex eisdem obsequijs, quàm ex purpureis vestibus Rex esse putaretur. Cumque idem Riggo decoratis vestibus obsequentium frequentiâ comitatus monasterium fuisset ingressus, vir DEI eminus sedebat. Quem venientem conspiciens, cùm iam ab eo audiri potuisset clamauit, dicens: pone fili, pone hoc quod portas: non est tuum. Qui Riggo protinùs in terram cecidit. Et quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit, omnesque qui cum eo ad hominem DEI veniebant, terræ consternati sunt. Surgentes autem ad eum propinquare minimè præsumpserunt, sed ad suum Regem reuersi nuntiauerunt trepidi, in quantâ velocitate fuerant deprehensi.

Diuus ficti Regis fraudes nouit.

ANAGRAMMA

DEO gratus is efficitur diuinus.

TIresias factus iudex de lite iocosâ,
Inter Iunonem quæ fuit atque Iouem;
Fœmineo sexum dum vult præstare virilem,
Firmans fulminei ludicra verba Dei;
Indignante Iouis fit coniuge, luminis expers;
Talia iudicij fert monimenta sui.
Jupiter at magno pœnam compensat honore;
Luminis expertem scire futura sinit.
Sic vbi concluso BENEDICTVS *lumine mentis*
Non mundana videt, vana nec acta probat;
Hic veluti cœcus, Vatis donatur honore,
Atque DEO gratus, *multa futura videt.*
Intima secreti lustrat penetralia cordis,
Percitus & diuo Numine multa canit.
Non ita Rex Helenus, summus Phœbiq; Sacerdos
Æneæ cecinit certa pericla maris:
Nec Cumæa magis folijs oracula virgo,
Fatidico reddens ore locuta fuit,
Quàm ventura canat BENEDICTVS *Vatis ad instar,*
Cernat & ex oculis quæque remota suis.
Spargitur hæc Vatis velox dum fama per Orbem,
Ingreditur Totilæ Regia castra Ducis.
Jlle Gothis præerat, sceptris opibúsque superbus,
Jmpius, immitis, barbarus, atque ferox.
Hicq; sui cupiens fines extendere regni,
Hostis per Latios arma ciebat agros.
Agmine multiplici Romam tendebat ad vrbem,
Quam Mundi Dominam nouerat atque caput.
Audijt vt quendam BENEDICTVM *nomine Diuum,*
Sidereo Vatis munere, multa loqui; *Pro-*

Propterea hunc magno cernendi flagrat amore,
Illius & cinctus milite claustra petit.
Antè tamen sacri subeat quàm limina claustri,
Vt sibi de Diuo dicta probare queat;
Præmittit famulum magnâ comitante cateruâ,
Qui Regem Totilam dissimulanter agat.
Huic præbet croceo pictum velamen acantho,
Eius & in manibus regia sceptra locat;
Quo solet atque vehi, cristis, ostróque decorum,
Riggonem famulum scandere mandat equum.
Tres iuxta famulos socios simul instruit armis,
Vt sunt qui lateri Regis adesse solent.
Sicq; peregrina ferrugine Riggo refulgens,
Fatidici ingreditur claustra sacrata Patris.
Non vultus deerat, faciésque simillima Regis;
Expers Cæsareæ nec grauitatis erat.
Iste videbatur verissima Regis imago,
Effigiem Totilæ fronsq; manúsq; dabant.
Hoc, Regem meliùs, scriptis si credere fas est,
Qui posset Totilam fingere, nullus erat.
Vt videt hunc sacri subeuntem limina claustri
Diuus subridens, hæc BENEDICTVS *ait:*
Exue quam gestas, fili, cum veste coronam:
Exue, non tua sunt, cur aliena geris?
His dictis riguit tantâ formidine Riggo,
Vt Diui ruerit protinus ante pedes.
Qui comites aderant, parili terrore rigescunt;
In cunctis eadem causa timoris adest,
Sed postquam rediit circum præcordia sanguis,
Hæc celerant Regi facta referre suo.
Nónne Deo gratus *meritò* diuinus *habetur,*
Qui bene diuinans talia verba refert?

CAPVT XV.

De Prophetia Regi Totilæ, & Canusinæ Ecclesiæ Antistiti, facta.

TVnc per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cum longè sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cum Vir Dei bis terué diceret: Surge, sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet, Benedictvs Christi Iesv famulus per semetipsum dignatus est accedere ad Regem, prostratumque de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta, quæ illi erant ventura, prænuntiauit, dicens: Multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidē Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehementer territus, oratione petita recessit, atque ex illo iam tempore minus crudelis fuit, & non multò post Romam adijt, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, Omnipotentis Dei iudicio regnum cum vita perdidit. *b* Præterea Canusinæ Antistes Ecclesiæ ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quem Vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ & Romanæ vrbis perditione colloquium haberet, dixit: per hunc Regem ciuitas ista destruetur, vt iam ampliùs non inhabitetur. Cui Vir Domini respondit: Roma à gentibus non exterminabitur, sed tempestatibus, coruscis turbinibus, ac terræ motu fatigata, in semetipsâ marcescet. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus, eiusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternantur, videmus: quamuis hoc Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet; sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

Regi

Regi Totilæ ventura prædicens.

ANAGRAMMA

Vir tantus in lege DEI præco erat.

AD Totilam Riggo detectâ fraude reuersus,
Quæ sibi contigerant, ordine cuncta refert.
Eius adhuc gelido torpens in corpore sanguis,
Quæ profert trepido gutture verba, probat.
Omnibus auditis, voluisse illudere Vati
Rex dolet, & veniam quærit habere doli.
Quòdque priùs suscepit iter, quo claustra petuntur,
Perficit, & sacros pergit adire lares.
Obuius est Regi factus prope limina Diuus,
Cuius in amplexu Rex prior ipse ruit,
Ac illi tribuens patrio de more salutem,
Sternitur oblongâ veste tegente solum;
In terram sceleris, proiectus corpore toto,
Admissi veniam suppliciterque petit.
Hunc Pater à terra subitò sed tollit amicum;
Erectum alloquitur talibus atque modis:
Inclyte præclaro Rex stemmata sanguine ducens,
Quique studes maior, Patribus esse tuis,
Quid precor in nigrâ Monachum me veste vereris,
In te quem nosti iuris habere nihil?
Quàm foret id melius cœli, terræq; Monarcham,
Conuenit vt cunctis, te timuisse Deum.
Prô dolor! illius violatis legibus, arma
Corripis, externos & popularis agros.
Egressus proprij spatioso limite regni,
Hostis agens prædas, cur aliena rapis?
Aspice, sit quantis hæc patria subdita damnis,
Te duce dum Mauors hîc sua tela iacit.

Mœnia, castra, domus, nec non sacrata Tonantis
Diruta Palladio templa furore iacent.
Iam satis est sceleris, rabidum compesce furorem,
Desine crudeles tingere cæde manus.
Non impunè suam Martis furor explicat iram:
Crede mihi, punit bella cruenta Deus.
Mille Duces Troiam curuis petiere carinis,
An tamen incolumes mille fuere Duces?
Respice Philacidem, fato qui primus iniquo
Aduectus Phrygiam sanguine sparsit humum.
Quin etiam Danaum vindex fatalis Achilles,
Occidit inuicto tela vibrante Deo.
Quæ Cæsar retulit ciuilis præmia belli?
Curia Cæsareo sanguine tincta fuit.
Te quoque sors eadem, infœlix & finis habebit:
Quæ dico, ingenio vaticinante loquor.
Cùm tibi sit nostris pectus non flexile verbis,
Quæ tibi contingent, ordine cuncta canam.
Conscendes Latiæ victor Capitolia Romæ,
Et maris vndosas transgredieris aquas;
Annorumq; nouem Rex tempore sceptra tenebis,
Abscindet Lachesis pòst, tua fila manus.
His Totila egreditur dictis, magnoque timore
Ducitur, haud stabili vix pede adornat iter.
Non tamen incepti belli cum strage tenorem
Deserit, Ausonij feruet amore soli.
Emporium, Mundiq; caput sibi subdere Romam
Belligeri nouit nobile Regis opus.
Victorem toties nullo cogente reuerti
Ad proprios stultum iudicat esse lares.
Quam fuit ante tamen, multò iam mitior extat,
Belláque non tantâ strage cruenta facit.



Ciui-

b Ciuitatis Romanæ excidium præuidens ingemit.

ANAGRAMMA.

Ita ex ignecadente sic rem diuinauit improuisam.

CVm semel intrasset BENEDICTI *claustra parentis*
[Sæpiùs hunc etenim visere moris erat]
Vir Canusinâ reuerendus Præsul in vrbe
Dicitur hæc Diuo verba dedisse Patri:
Numinis interpres, Superûm qui oracula pandis,
Orèque fatidico multa futura canis;
Dum Regi Totilæ recolo, quæ verba dedisti,
Largior ex oculis defluit vnda meis.
Mænia si Latiæ subeat Rex barbarus vrbis,
Quam dolor! hâc stragem gignet in vrbe furor?
Celsa mihi videor Capitolia cernere plano,
Molibus euersis, æqua iacere, solo.
Quæ modò magnifici cernuntur templa decoris,
Sanctorum exuuijs atque referta sacris,
Ornatu spoliata suo, viduatáque cultu,
Hostili rabie diruta nunquid erunt?
Tecta, domus, arces, portæ, munimina, turres,
Quid nisi erunt Troiæ lapsa figura nouæ?
O Roma Ausoniæ primaria gloria terræ!
O Roma eximius totius Orbis honor!
Siccine tam multis mirum quod floruit annis,
Vnica quidquid habes auferet hora decus?
Præsulis hæc Vates Diuino concitus æstro
Dicta notans, illi mox BENEDICTVS *ait.*
Verba scias Totilæ, Præsul, me vera dedisse;
Non tamen illius Roma furore cadet.
Ista quidem magnis, erit vrbs oppressa ruinis,
Illius & muri, templa, domúsque ruent.
Non tamen hæc strages veniet victore Tyranno,
Roma sed insolito fulminis igne *cadet.*

Exi-

Exitus infœlix hæc Vatis dicta probauit;
Verus enim Vates dicere falsa nequit.

CAPVT XVI.

De Clerico à Dæmone liberato vsque ad tempus.


Odem quoque tempore quidam Aquinensis Ecclesiæ Clericus dæmonio vexabatur, qui à Venerabili Viro Constantio eiusdem Ecclesiæ Antistite per multa fuerat Martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed Sancti DEI Martyres noluerunt ei sanitatis donum tribuere, vt quanta esset in BENEDICTO gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad Omnipotentis DEI famulum BENEDICTVM, qui IESV Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato præcepit, dicens: vade, & post hac carnem non comedas, ad sacrum ordinem nunquam accedere præsumas, quâcumque autem die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statim iuri diaboli iterum mancipaberis. Discessit igitur Clericus sanus, & sicut terrere solet animam pæna recens, ea quæ Vir DEI præceperat, interim custodiuit. Cùm verò post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet superponi in sacris ordinibus cerneret, verba Viri DEI quasi ex longo tempore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox is qui reliquerat diabolus tenuit, eumque vexare quousque animam eius excuteret non cessauit.

PETRVS.

Iste Vir DEI diuinitatis, vt video, etiam secreta penetrauit: quia perspexit hunc Clericum ideò diabolo traditum, ne ad sacrum ordinem auderet accedere.

GRE-

GREGORIVS.

Quare diuinitatis secreta non nosset, qui diuinitatis præcepta seruaret, cum scriptum sit: *1. Cor: 6. Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo.*

PETRVS.

Si vnus sit cum Domino Spiritus qui Domino adhæret, quid est quod iterum idem egregius Prædicator dicit: *Rom: 11. Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit.* valdè enim esse inconueniens videtur, eius sensum cum quo vnus vnum factum fuerit ignorare.

GREGORIVS.

Sancti viri in quantum cum DEO vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idem quoque Apostolus dicit: *1. Cor: 2. Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi Spiritus Dei,* qui vt se ostenderet nosse quæ DEI sunt, adiunxit: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est.* Hinc iterum dicit: *Quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis autem reuelauit per spiritum suum.*

PETRVS.

Si ergo eidē Apostolo ea, quæ DEI sunt, per DEI spiritū sunt reuelata, quomodo super hoc, quod proposuit, præmisit dicens: *Rom: 1. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Sed rursus mihi hæc dicenti alia suboritur quæstio: Nam Dauid Propheta loquitur Domino dicens: *Psal: 118. In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia oris tui.* Et cùm minùs sit nosse, quā etiā pronuntiare, quid est quòd Paulus incomprehensibilia esse Dei iudicia asserit, Dauid autem hæc se omnia non solùm nosse, sed etiam in labijs pronunciasse testatur?

GREGORIVS.

Ad vtraque hæc tibi superius sub breuitate respondi, dicens: quod

quod sancti viri in quantum cum DEO vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui deuotè Dominum sequuntur, etiam deuotione cum DEO sunt, & adhuc carnis corruptibilis grauati pondere, cum DEO non sunt, occultaque DEI iudicia in quantum coniuncti sunt sciunt, in quantum disiuncti sunt, nesciunt: quia enim secreta eius adhuc perfectè non penetrant, incomprehensibilia eius iudicia esse testantur. Qui verò mente ei inhærent, atque inhærendo vel sacris scripturæ eloquijs vel occultis reuelationibus in quantum accipiunt agnoscunt, & nouerunt hæc & pronuntiant. Iudicia enim, quæ DEVS tacet, nesciunt, quæ DEVS loquitur, sciunt. Vnde & David Propheta cum dixisset. *Psalm: 118. In labijs meis pronuntiaui omnia iudicia,* protinùs addidit, *oris tui,* ac si aperte dicat: Jlla ego iudicia & nosse & pronuntiasse potui, quæ te dixisse cognoui. Nam ea, quæ ipse non loqueris, à nostra procul dubio cognitione abscondis. Concordat ergo prophetia apostolicaque sententia: quia & incomprehensibilia sunt DEI iudicia, & tamen quæ de ore eius prolata fuerint, humanis labijs pronuntiantur, quoniam sciri ab hominibus, & prolata prodi possunt, & occultari non possunt.

PETRVS.

In obiectione meæ quæstiunculæ patuit causa rationis. Sed quæso te, si qua sunt adhuc de viri huius virtute, subiunge.

Energumenus liberatus.

ANAGRAMMA.

En bene is, vrgetur malus.

Qvos premit infernus sæuâ ditione Tyrannus,
Non cessat varijs hos cruciare modis.
Corpora dum subijt, sæuit vehementior hostis,
Solus ibi regnans noxia quæque facit:

Ne queat in laudem prorumpere lingua Tonantis,
Hanc ligat, aut cogit turpia verba loqui.
Horribili Stentor complet nunc omnia voce,
Ex ore obsessi dum tonat ipse loquens.
Concipiens subitò lymphatâ mente furorem,
Vt ferus effractâ compede currit equus.
Vinciat hunc funis, nexum mox dente resoluit:
Dæmona ne ferri vincla ligare queunt.
Clericus, obsequio CHRISTI *fortaßè relicto,*
Talibus Eumenidum viribus actus erat.
Haud misero prodest sacri tonsura Ministri,
Eius supplicium maius at inde venit.
Nulla Sacerdotum poßesso corpore, ritu
Dæmona consueto pellere verba queunt.
Vt tamen obseßum BENEDICTVS *conspicit, hostem*
Corpore Tartareum cogit abire cruce.
Nec mirum: maledictus enim non fert BENEDICTVM*:*
Nomine dissimilis pugnat uterque nimis.

CAPVT XVII.

De destructione Monasterij Viri DEI, *ab ipso prædicta.*

GREGORIVS.

VIr quidam nobilis Theoprobus nomine, eiusdem BENEDICTI Patris fuerat admonitione conuersus, qui pro vitæ suæ meritò magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cùm quâdam die eius cellam fuisset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cumque diu subsisteret eiusque non finiri lachrymas videret, nec tamen vir DEI consueuerat orando plangere, sed mœrendo, quænam causa tanti luctûs existeret, inquisiuit. Cui vir DEI illico respondit, omne hoc mona-

nasterium quod construxi, & cuncta quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Vix autem obtinere potui, vt mihi ex hoc loco animæ concederentur. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit, nos autem cernimus qui destructum modò à Longobardorum gente eius monasterium scimus. Nocturno enim tempore & quiescentibus fratribus nuper illi Longobardi ingressi sunt, qui diripientes omnia, ne vnum quidem hominem illic tenere potuerunt, sed impleuit omnipotens Deus quod fideli famulo Benedicto promiserat, vt si res gentibus traderet, animas custodiret. Quare Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cuius dum nauis rerum omnium iacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omnium qui eum comitabantur, accepit.

Diuus Monasterij ruinam præuidet.

ANAGRAMMA.

Vir mansuetus mira Dei prouidentia.

Filia Centauri, quæ præpetis omina pennæ,
Et volucrum linguas, cursus & sidera cæli
Nôrat, & interpres Diuûm ventura canebat
Ocyroë, postquam proprij quem pectore clausum
Gestabat pueri, felicia fata sereno
Dixisset vultu, lacrymis mox mæsta subortis
Et magno gemitu, diversâ sorte Marito
Euentura suo cecinit. Maiore deinde
Et sua fata loquens fuit hæc afflicta dolore:
Scilicet amissâ iam se ratione futuram
Conspiciebat equam. Quis non hæc fata doleret?
Sic vbi Diuino Benedictus concitus astro,
Læta alijs læto Vates oracula vultu
Prædixit, funesta suos dum Numinis irâ
Perpendit quæ fata manent, velut altera deflens

Na-

Natorum Niobe manes, cinerésque sepultos,
In lacrymas resolutus abit, tantumq; doloris
Concipit, vt toto fugiens de corpore sanguis
Illius interdum sine motu membra relinquat.
Talibus in lacrymis gemebundi turturis instar
Solus erat Vates, quidam cùm Nobilis ipsum
Nomine Theoprobus, verè probus, omen adeptus
Nominis, accessit, qui mox sermone dolentis
Confirmare animum cupiens, hæc verba Parenti
Fatidico loquitur. Fletus quæ causa serenos
Fœdauit vultus, lacrymásque effundere quisnam
Te cogit Venerande Pater? Cui talibus ille:
Inclyte vir, nostri quænam sit causa doloris
Dum petis, appositâ renuunt quæ vulnera tangi
Cruda manu renouas: non sunt quos perfero tales,
Qui blando valeant luctus sermone leuari.
Me tamen vt videas iustâ ratione moueri,
Nec me cum lacrymis muliebri more querelas
Edere, proponam quæ sit mihi causa doloris.
Præsagâ video, quâ nosco futura, Tonantis
Munere, iam tantùm fabricati mente ruinas
Cœnobij. Tempus veniet voluentibus annis,
Cùm fera gens cultu studijsq; asperrima belli,
Prô dolor! euertet, totamq; à sedibus imis
Eruet hanc molem. Sic stat sententia Diûum.
Attamen in tanta precibus solatia clade
Obtinui: nullus violentâ morte peribit,
Vel cadet hostili gladio. Quam hæc vera fuerunt,
Exitus edocuit. Densæ cùm tempore noctis,
Quo fratres placidi capiebant munera somni,
Longobarda ferox fracto gens limine claustri
Irruit; atque lares flammâ crepitante sacratos
Protinus incendit; nullo tamen igne, vel armis
Euersi in medijs claustri pereunte ruinis.

CAPVT XVIII.

De absconsione flasconis à Beato BENEDICTO cognita.



Vodam quoque tempore Exhilaratus noster, quem ipse conuersum nosti, transmissus à Domino suo fuerat, vt Dei viro in monasterium vino plena duo lignea vascula, quæ vulgo flascones vocantur, deferret: qui vnum detulit, alterum verò pergens in itinere abscondit. Vir autem Domini, quem facta absentia latere non poterant, vnum cum gratiarum actione accepit, & discedentem puerum monuit, dicens: vide fili, ne de illo flascone, quem abscondisti bibas, sed inclina eum cautè, & inuenies quid intus habet. Qui confusus valde à DEI homine, exiuit. Et reuersus volens adhuc probare quod audierat, cum flasconē inclinasset, de eo protinùs serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc, quod in vino reperit, expauit malum, quod fecit.

Baiulus vini lagenam detinet.

ANAGRAMMA.

Videns in illa, ab angue metuit.

VIr pius, binas meliore vino
Iusserat plenas famulum lagenas,
Nursio gratæ pia signa mentis
Ferre Parenti,
Fraude sed multâ iuuenis dolosus,
In viâ, Diui prope claustra Patris,
Fortè sub densis vepribus, lagenam
Abdidit vnam.

Alte-

Alteram, sacras veniens ad ædes,
Porrigit munus phialam falerni;
Fronte quam Diuus capiens serenâ,
Verba salutis

Mandat, & grates Domino referri:
Vnius noscens phialæq; furtum,
Admonet seruum latitantis anguis,
Atque pericli.

Ad Patris seruus monitum stupescit;
Sed nihil præter retinet stuporem:
Scire non noscit sua furta Diuum
Munere Vatis.

Abditam quærens alibi lagenam,
Ora dum primùm resupina vertit,
Ecce pro vini fluido liquore
Exilit anguis.

Territus monstri iuuenis figurâ,
Crimen agnoscit, sibi dicta seruans,
Conspicit Diuo geniùmq; veri
Vatis inesse.

CAPVT XIX.

De mappularum receptione à viro DEI *cognita.*

NOn longè autem à monasterio vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ad fidem DEI ab idolorum cultu BENEDICTI fuerat exhortatione conuersa. Ibi quoque quædam Sanctimoniales feminæ inerant, & crebrò illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere BENEDICTVS DEI famulus curabat. Quadam verò die misit ex more: Sed is, qui missus fuerat Monachus post admonitionem factam, à Sanctimonialibus feminis rogatus mappulas accepit, sibique eas abscondit in sinu. Qui mox vt reuersus est,

est, eum vir Dei vehementissimâ amaritudine cœpit increpare, dicens: Quomodo est ingressa iniquitas in sinum tuum? at ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vnde corripiebatur ignorabat. Cui ait: Numquid ego illic præsens non eram, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti? qui mox eius vestigijs prouolutus, stultè se egisse pœnituit, & eas, quas in sinu absconderat, mappulas abiecit.

CAPVT XX.

De cogitatione Monachi superba à Dei *viro cognita.*


Qvadam quoque die, dum venerabilis Pater vespertinâ iam horâ corporis alimenta perciperet, eius monachus cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernam tenebat. Cvmque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernæ ministerio astaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente suâ tacitus voluere, & per cogitationem dicere: Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Quis sum ego, vt isti seruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus, vehementer cœpit eum increpare, dicens: Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris? signa cor tuum. Vocatisque statim fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli, ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi horâ eâdem quietum sedere. Qui requisitus à fratribus, quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquido omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latere nil posset, in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent.

Diuus est noſcens occulta fratrum vitia.

ANAGRAMMA.

Sic mentis oculo viderat ſanctus futura.

VIderat *hic veluti præſagâ mente* futura,
Sic *Pater alterius pectoris ima videt.*
Veſper erat, cùm Sol radijs decliuibus vmbram
Duplicat, atque breui tempore finit iter.
Cùm ſine candelæ non fiunt lumine cœnæ,
Tota ſed appoſitâ lampade menſa nitet.
Propterea aſtantem ſibi Diuus iuſſerat vnum
Sumendis Monachum lumina ferre cibis.
Paruit ad iuſſum, ſtando tenuitq́; lucernam
Frater, & exterius murmura nulla dedit.
Talia ſed tacitus tumido ſub pectore voluit;
Obſequium famuli cui modo rectus ago?
Hæc meditata videns, alios accedere Diuus
Imperat, elato detrahit atque facem.
Quæ te frater ait, veſana ſuperbia torquet?
Et ſubeunt animum quæ meditata tuum!
Feſtina munire crucis tua pectora ſigno:
Dæmonis inſidijs te cecidiſſe ſcio.
Fratribus attonitis ob talia verba Parentis,
Hic narrat ſocijs quæ meditatus erat.
Non commiſſa pudet ſocijs peccata fateri,
Omnibus exiſtent quæ manifeſta ſemel.
Se peccaſſe dolet, facti veniamq́; requirit,
A Patre conſequitur quam ſimul atque Deo.



CAPVT XXI.

De ducentis modijs farinæ ante viri DEI *cellam inuentis.*



ALio quoque tempore in eâdem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaque omnes alimentorum indigentia coangustabat. Jamque in BENEDICTI monasterio triticum deerat. Panes verò pænè omnes consumpti fuerant, vt non plus quam quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent. Cumque eos venerabilis Pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursum promissione subleuare, dicens: Quare de panis inopia vester anim9 contristatur? hodie quidē minus est: sed die crastinâ abundanter habebitis. Sequenti autē die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos Omnipotens DEVS, quibus deferentibus transmisisset, nunc vsque manet incognitum. Quod cùm fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iam de abundantiâ nec in egestate dubitare.

PETRVS.

Dic, quæso te, numquid non credendum est, huic DEI famulo semper Prophetiæ spiritum adesse potuisse, an per interualla temporum eius mentem Prophetiæ spiritus implebat?

GREGORIVS.

Prophetiæ spiritus, Petre, Prophetarum mentes non semper irradiat: quia sicut de sancto Spiritu scriptum est, *vbi vult spirat:* ita sciendum est, quia & quando vult, aspirat. Hinc est enim, quod Nathan à Rege requisitus, si construere templum posset, priùs consentit, & postmodum prohibuit. Hinc est quod Helisæus, cum flentem mulierem cerneret, causamque nescisset, ad prohibentem hanc puerum dicit: dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non

indicauit mihi. Quod Omnipotens DEVS ex magnæ pietatis dispensatione disponit: quia dum prophetiæ spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt & accipientes spiritum inueniant, quid de DEO sint: & rursum Prophetiæ spiritum non habentes cognoscant, quid sint de semetipsis.

PETRVS.

Ita hoc esse, vt asseris, magna ratio clamat: Sed quæso de venerabili Patre BENEDICTO, quid quid adhuc animo occurrit, exequere.

Diûs oratione frumentum impetrat.

ANAGRAMMA.

Ita fidens nouum reportat meritum.

ISacidas quondam per inhospita lustra vagantes,
In quibus exculto frugum non dona ferebat
Rure Ceres, niueum pluuiosi roris ad instar
Sedibus æthereis mirando munere Diuûm
Manna cadens aluit. Parili deserta colentes
Quos iuuat amplecti CHRISTO præeunte beatum
Relligionis iter, summi moderator olympi
Sæpè modo nutrit. Famulorum est tanta suorum
Cura Deo, spretis opibus, carnisq; voluptâ,
Quos meliora Crucis cernit vexilla secutos.
Hunc Deus eximium BENEDICTO Patris amorem
Sæpiùs ostendit: solito tamen amplior ille
Tempore, Cœnobio Cereris quo dona deessent,
Paruit affectus. Positis iam fercula mensis,
Farráque non aderant, fratrum queis languida possent
Corpora curari: dolor est cum murmure mixtus.
Quam patiuntur enim quidam tantummodo fratres

Esuriem deflent: quidam id contingere cura
Deficiente Patris, tacito sermone queruntur.
Pauperiem Diuus fratrum, iustumq; dolorem
Vt Pater aduertit, paribus solatia verbis
Addit, & hos curam cupiens sperare supremi
Numinis, alloquitur: Quid vos dolor anxius vrget
Deficiente cibo fratres? ieiunia nunquid,
Atque aduersa pati sanctæ vos regula vitæ
Edocet? Afflictis melius confidere rebus,
Nonne etiam mandat totum qui dirigit Orbem,
Et nutrit volucres, & agrorum candida vestit
Lilia? diuinis num deseret ipse sacratos
Officijs famulos? sobolis num cura fouendæ
Desinet esse Patri? pullos gallina tuendi
Immemor an viuet? verùm si euenerit istud
Naturâ variante vices, memor vsquè suorum
CHRISTVS erit. Proprio fuit attestatus id ore:
Quis dubitare potest? hodie si fercula vobis
Defuerint, Fratres, Superûm cras munere missa
Aduenient. Animo depellite nubila vestro.
Hæc vbi dicta dedit, Phœbo mergente iugales
Oceani lymphis, dum cætera turba quiescit,
Ecce vigil precibus BENEDICTVS tempora noctis
Transigit. In vanum nec facta fuere precantis
Vota DEO: totum radiis nam posterus Orbem
Sol vbi lustrauit, Cereris (mirabile dictu)
Ante fores claustri ignoto sunt dona ferente
Bis centum numero modiorum grana reperta:
Sicq; nouum fidens meritum *Pater ille* reportat.



CA-

CAPVT XXII.

De dispositione monasterij per visionem habita.

GREGORIVS.

ALio quoque tempore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta Taracinensem vrbem missis discipulis suis construere Monasterium debuisset. Qui roganti consentiens deputatis fratribus Patrem constituit, & qui ei secundus esset, ordinauit. Quibus euntibus spopondit, dicens: ite, & die illo ego venio & ostendo vobis, in quo loco oratorium, in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæque sunt necessaria ædificare debeatis. Qui benedictione perceptâ illicò perrexerunt, & constitutum diem magnoperè præstolantes, parauerunt omnia, quæ his qui cum tanto Patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte verò eâdem, quâ promissus illucebat dies, eidem seruo DEI quem illic Patrem constituerat, atque eius Præposito vir Domini in somnis apparuit, & loca singula, vbi quid ædificare debuissent subtiliter designauit. Cumq; vterque à somno surgerent, sibi inuicem, quod viderant, retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodo fidem dantes, virum DEI sicut se venire promiserat, expectabant. Cumque vir DEI constituto die minimè venisset, ad eum cum mærore reuersi sunt, dicentes: Expectauimus Pater, vt venires sicut promiseras, & nobis ostenderes, vbi quid ædificare deberemus, & non venisti. Quibus ipse ait: quare fratres, quare ista dicitis? numquid sicut promisi, non veni? cui cum ipsi dicerent, quando venisti? respondit? Numquid vtrisque vobis dormientibus non apparui, loca & singula designaui? ite, & sicut per visionem vidistis, omne habitaculun Monasterij ita construite. Qui hæc audientes vehementer admirati, ad prædictum prædium sunt reuersi, & cuncta habitacula sicut ex reuelatione didicerant, construxerunt.

PETRVS.

Doceri velim, quo fieri ordine potuit, vt longè iret, responsum dormientibus diceret, quod ipsi per visionem audirent, & recognoscerent.

GREGORIVS.

Quid est quod perscrutans rei gestæ ordinem, ambigis Petre: liquet profectò quia nobilioris naturæ est spiritus quàm corpus. Et certè, scripturâ teste, nouimus quod Propheta ex Iudæâ subleuatus, repente est cum prandio in Chaldæâ depositus, quo videlicet prandio Prophetam refecit, seque repente in Iudæa iterum inuenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit sub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum, si BENEDICTVS Pater obtinuit, quatenus iret per spiritum, & fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret: vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ita iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret?

PETRVS.

Manus tuæ locutionis, tersit meæ, fateor, dubietatem mentis: sed velim nosse, in communi locutione qualis iste vir fuit.

Hic absens à fratribus in somno videtur.

ANAGRAMMA.

En is missus vt bona fabrica ordinetur.

NOn nisi mirandâ constat virtute Tonantis,
Corpus idem multis posse manere locis.
Talia Socratici non præbent dogmata libri,
Illud Aristotelis nec schola tota docet.
Quod latuit veteres, opus istud Numinis extat;
Paucis collatus maximus estq; fauor.
Sed BENEDICTVS eo gaudet dum munere Præsul,
Fratribus in somnis cernitur ecce suis, Cœno-

Cœnobium Monachis quâ sit ratione parandum,
Omnia quôue loco sint fabricanda, docet.
Posterius Eois dum Sol surrexit ab vndis,
Quilibet ad socium somnia visa refert.
Se vidisse Patrem, formamq; notasse struendi
Illum Cœnobij, singula verba probant.
Et iuxta archetypum Patris per somnia latum,
Ædificant Fratres claustra dicanda Deo.

CAPVT XXIII.

De Sanctimonialibus feminis post mortem absolutis.

GREGORIVS.



Ix ipsa, Petre, communis eius locutio à virtutis erat pondere vacua: quia, cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid verò vnquam non iam decernendo, sed minando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubiè atque suspensè, sed iam per sententiam protulisset. Nam non longè ab eius monasterio duæ quædam Sanctimoniales feminæ, nobiliori genere exortæ, in loco proprio conuersabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequium. Sed sicut nonnullis solet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis, vt minùs se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt, necdum prædictæ Sanctimoniales feminæ perfectè linguam suam sub habitus sui fræno restrinxerant, & eundem Religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequium præbebat, incautis sæpè sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diu, ista toleraret, perrexit ad DEI hominem, quantasque pateretur verborum contumelias, enarrauit.

Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit, dicens: corrigite linguam vestram, quia si non emendaueritis, excommunico vos. Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Jllæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in Ecclesia sepultæ. Cumque in eâdem Ecclesiâ Missarum solemnia celebrarentur, atque ex more Diaconus clamaret: Si quis non communicat, det locum: nutrix earum, quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi & exire videbat. Quòd dum sæpiùs cerneret, quia ad vocem Diaconi clamantis exibant forás, atq; intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit, quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippè se communione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est, qui manu sua protinus oblationem dedit, dicens: Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlteriùs excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & à Diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes, ab Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia vlterius visæ non sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

PETRVS.

Mirum valde, quod dicis, quamuis venerabilem & sanctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas.

GREGORIVS.

Nunquid nam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat. *Math: 15 Quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cælis?* Cuius nunc vicem ligando & soluendo obtinent, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent. Sed vt tanta valeat homo de terra, cœli & terræ conditor in terram venit è cœlo: atque

vt

vt iudicare caro etiam de ſpiritibus poſſit, hoc ei largiri dignatus eſt, factus pro hominibus DEVS caro: quia inde ſurrexit vltra ſe infirmitas noſtra, vnde ſub ſe infirmata eſt firmitas Dei.

PETRVS.

Cum virtute ſignorũ concorditer loquitur ratio verborum.

Mortuæ Virgines ſoluuntur anathemate.

ANAGRAMMA.

Sanè iſtæ à morte eriguntur vnà tumulo.

QVas anathema grauis quondam cenſura notarat,
Ex tumulo *binæ moniales ſurgere clauſo*
Sæpè videbantur, cuius non abſque ſtupore
Prodigij rumor BENEDICTI *venit ad aures.*
Ille Pater recolens fuerat quæ verba minatus,
Protinus agnoſcit Moniales ſoluere pœnas
Quas cenſura tulit. Iubet illicò vota Tonanti
Atque preces fieri, Diuum munùſque litari,
Filius æterno CHRISTVS *quo victima Patri*
Presbyteri manibus ſacris offertur in aris.
Non magis hoc facto ſunt viſæ exire ſepulchro,
Vt ſperare iubet pietas immenſa superni
Numinis, ad cœlos animo fælice volarunt.

CAPVT XXIV.

De puero poſt ſepulturam à terra proiecto.

GREGORIVS.


Vadam quoque die, dum quidam eius puerulus monachus, parentes suos, vltra quàm deberet, diligens, atq; ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de Monasterio exijsset, eodem die, mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumq; esset sepultus, die altero proiectum foras corpus eius inuentum est, quod rursus tradere sepulturæ curauerunt. Sed sequenti die iterum proiectum exterius, atq; inhumatum, sicut prius, inuenerunt. Tum concitè ad BENEDICTI Patris vestigia currentes, magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir DEI manu sua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite, atq; hoc Dominicum corpus super pectus eius, cum magna reuerentia ponite, & sic sepulturæ eum tradite. Quod dum factum fuisset, susceptum corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit. Perpendis, Petre, apud IESVM Christum Dominum cuius meriti iste vir fuerit, vt eius corpus etiam terra proiecerit, qui BENEDICTI gratiam non haberet?

PETRVS.

Perpendo planè, & vehementer stupeo.

Vnus monachus visitat Parentes & moritur.

ANAGRAMMA.

Væ, vt sic mortuum ipsa terra non sustinet.

TRahente Clotho stamina quamdiu
Vitalis auræ munere vescimur,
Non tempus oblitos, vel anni
Nos patriæ faciunt amoris.
Athleta quamuis Palladis inclytus,
Fumum cupiuit Neritius tamen
Sulcans inæquales procellas,
De pátrijs laribus videre.

Quid

Quid Vrbe Româ nobilius datur?
Quæ terra peior cardine Taurico?
Huc barbarus vadit relictâ
Vrbe, ſuos repetens penates.
Amore frater ductus erat pari
Sub Nurſiano Patre, Monaſtica,
Ætatis in primo decore,
Signa crucis nouiter ſecutus.
Hic derelictos Cœnobio exiens
Viſit Parentes: ſed dolor! in domum
Ingreſſus vt fuit paternam,
Morte ruit ſubitâ peremptus.
Quo tunc doloris vulnere ſaucia
Eius Parentes pectora geſſerint
Quis explicabit? maior ipſis
Orta tamen ratio eſt doloris,
Cùm corpus ipſum ſub tumulo vident
Non poſſe claudi: crimina transfugæ
Noſcunt parentes inde Nati,
Hóſque dolor vehementer angit.
Hæc Nurſiano triſtia Præſuli
Diuoq; Patri nuntia deferunt,
Magnoque turbati dolore,
Illius auxilium requirunt.
CHRISTI ſacratum ſub modici latens
Pani fi ra corpus hic algidis
F ris Sacerdotem decenter
Pectoribus iubet applicare.
Juſſu peracto Præſulis, ampliùs
Non terra fratris corpora reſpuit
Habere defuncti, ſed illa
In gremio tenuit patenti.

CAPVT XXV.

De Monacho qui de Monasterio discedens draconem in itinere inuenit.

GREGORIVS.



Vidam autem eius monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in Monasterio nolebat. Cumque eum vir DEI assiduè corriperet, & frequenter admoneret, ipse verò nullo modo consentiret in congregatione persistere, atque importunis precibus, vt relaxaretur immineret: quâdam die idem venerabilis Pater nimietatis eius tædio affectus, iratus iussit vt discederet. Qui mox vt Monasterium exijt, contra se assistere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumque eum idem draco, qui apparuerat, deuorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Succurrite, succurrite: quia draco iste me deuorare vult. Currentes autem fratres, draconem minimè viderunt, sed trementem atque palpitantem Monachum ad Monasterium reduxerunt. Qui statim promisit, nunquam se esse à Monasterio recessurum, atque ex horâ eâdem in suâ promissione permansit. Quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconem viderat, quem prius non videndo, sequebatur.

Transfuga viso dracone repetit monasterium.

ANAGRAMMA

Eo deterritus monstro, vi superna facit magna.

PRæmia non cœpto veniunt condigna labore;
Jmposito tantùm fine corona datur.

Non

Non nego quod Vatis vulgata paræmia pangit.
Dimidium facti qui bene cœpit, habet.
Si tamen optatum teneant non carbasa portum,
Non bene iucundum nautá celeusma canit.
Non nisi olympiaci collecto puluere Circi,
Quæ capiti imponat præmia victor habet.
Virtutis stadium si quos percurrere mandat,
Prælia non patitur linquere cœpta Deus.
Qui piger abiectis latet, vt Vesanius, armis,
Non leuia, amisso munere, damna capit.
Aspice sacrati, frustrà exhortante Magistro,
Transfuga Cœnobij quanta pericla subit.
Ecce tibi serpens oculis spirantibus ignem,
Cadmæo similis, cernitur ante fores.
Deuoret vt prædam, rictu procumbit hianti;
Præda sed aduersâ territa parte fugit.
Interiora domûs repetit velocior Euro,
Atque Patris Monachus corruit ante pedes.
Se viso reditum dicit sumpsisse Dracone,
Delicti veniam suppliciterque petit.
Territus & monstro *melior virtute* supernâ,
Conuenit vt Monacho, magna *deinde facit.*

CAPVT XXVI.

De puero ab elephantino morbo curato.

SEd neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrante cognoui, qui aiebat patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum, ita vt iam pilis cadentibus, cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum DEI ab eodem patre eius missus est, & saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

Hic Diuus leprosum mundat.

ANAGRAMMA.

Isti corpus valdè mundum.

MEmbra Elephantino quæ sunt correpta dolore,
Sensibus amissis, læsa dolore carent.
Talia nec tactus, nec dextera, vulnera lædit;
Non timet admotas fœtida lepra manus.
Tacta licet fuerit, veluti non tacta fuisset,
Sed fallor; tua sit si, BENEDICTE, manus.
Quàm tangis lepram, bene tacta fuiße videtur;
Hæc etenim tactu debet abire tuo.
Corpus *habet* mundum *qui fœtida corpora mundat;*
Res etenim mundum *sordida nulla facit.*

CAPVT XXVII.

De solidis per miraculum Presbytero redditis.

NEque illud taceam, quod eius discipulus, Peregrinus nomine, narrare consueuerat: quia die quádam, fidelis vir quidam necessitate debiti compulsus, vnum sibi fore remedium credidit, si ad DEI virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti necessitas, indicaret. Venit itaque ad monasterium, Omnipotentis DEI famulum reperit: quia à creditore suo pro duodecim solidis grauiter affligeretur, intimauit. Cui venerabilis Pater nequaquam se habere duodecim solidos respondit, sed tamen eius inopiam blandâ locutione consolatus, ait: vade; & post biduum reuertere, quia deest hodie quod tibi debeam dare. In ipso autem biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is, qui necessi-

tate debiti affligebatur, rediret, super arcam monasterij, quæ erat frumento plena, subitò tredecim solidi sunt inuenti. Quos vir Dei deferri iussit, & afflicto petitori tribuit, dicens: vt duodecim redderet, & vnum in expensis proprijs haberet. Sed ad ea nunc redeã, quæ eius discipulis, in libri huius exordio prædictis, referentibus agnoui.

Quidam vir grauissimâ aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius adhoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret. Qui quamuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ita vt diffusa in corpore eius varietas, lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, salutem pristinam citiùs recepit: nam mox vt eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugauit.

Sanctus Benedictvs pecunias à Deo recipit.

ANAGRAMMA

Sic iste pauper ac bene diues cunctis donat.

MVnificas gestare manus, miserosq; iuuare
Christiadis virtus est ea digna coli.
Diues *enim paruum tribuit dum munus egeno,*
Hoc sibi collatum prædicat esse Deus.
Conseruat pauidâ gazas qui mente repostas,
Seruat vt Hesperidum fulgida poma draco;
Nomine se frustrà Christi *proclamat alumnum,*
Qui Pluto obsequium sedulus vsque facit.
Sed dolor! obtentum diues *sic detinet aurum,*
Vt stipis exiguæ sæpiùs æra neget.
Possidet ardor opum solos non iste profanos,
Interdum Mystas corripit atque sacros.
Pauperis oblato viuunt de munere Christi,
Pauperis heu memores non tamen esse volunt.
Non talis Benedictvs *erat, qui promptus egenis*
Quâ poterat curâ ferre studebat opem.

Iste *licet* pauper, *se pauperis vsquè leuamen*
In cunctis *facilem præbuit atque Patrem.*
Hunc semel accedens, petijt pro munere nummos
Alterius multùm pauper ab ære grauis.
Cùm Pater in cistis Diuus nil clauderet auri,
Imposuit granis aurea dona DEVS.
Mox omnes tribuit, facilis quos munere cæli
Fecerat hunc nummos magnus habere fauor.
Ecquid auare tegis nullis quod proficit aurum?
Pauperibus discas paucula ferre miser.
Sic tibi multiplici reddentur fœnore nummi:
Non etenim CHRISTI *fallere verba queunt.*

CAPVT XXVIII.

De ampulla vitrea in saxis proiecta & non fracta.

EO quoque tempore, quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir DEI diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, vt pænè nihil in cellario, nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam Subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnoperè postulans, vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terrâ tribuere, vt in cœlo omnia reseruaret, hoc ipsum parũ, quod remanserat olei, iussit petenti dari. Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cumque post paululum, si id, quod iusserat, datum esset inquireret, respondit Monachus se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omninò nihil fratribus remaneret. Tunc vir DEI iratus, alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proijcerent, ne in cellâ aliquid per inobedientiam remaneret. Factumque est. Sub fenestra autem eâdem ingens præcipitium pa-

tebat, saxorum molibus asperum. Proiectum itaque vas vitreum venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset: ita vt neque frangi, neque oleum effundi potuisset. Quod vir Domini præcepit leuari, atque vt erat integrum, petenti tribui. Tunc collectis fratribus, inobedientem Monachum de infidelitate suâ & superbiâ coram omnibus increpauit.

Vna olei phiala deijcitur contra saxum.

ANAGRAMMA.

Illa miro casu iacta, ex vi Dei non rupta.

HEsperij regina Soli Campania frugum
Vsquè ferax, tanto quamuis ferat vbere dona;
Vt tellure Ceres Baccho videatur in istâ
Et Cereri Bacchus pro fertilitate duellum
Indixisse; tamen BENEDICTI tempore Diui,
Quaslibet Ausoniæ partes vastante furore
Palladis, & cæsos campo deflente colonos,
Sic sterilis mansit tellus, vt falce secanda
Gramina nulla daret, solitas nec pampinus vuas.
Magna fames aderat; syluestres carpere dumos
Et morsu spoliare nemus moribunda popelli
Turba videbatur: Diues renuebat egeno
Subsidium; miseris nec erat spes altera cunctis
Quàm propensa Patris BENEDICTI dextera dandis
Muneribus: nam Cœnobij bona pauperis esse
Cuncta volens, farris, vel vini quidquid habebat,
Non veluti proprium, CHRISTI sed munus, egenis
Curabat tribui. Quodam vir tempore pauper
Altaris famulus, sacra cuius epistola voce
In templo legitur, BENEDICTI claustra Parentis
Accedens, oleum petijt sibi supplice voto
Conferri, cuius precibus de more, benignè

Annuit vt Diuus, iubet ad se accedere claustri
Oeconomum, mandatq; oleum mox ferre petenti.
Sed seruans oleum in communem prouidus vsum
[Nam modicum quod erat, cristalli ampulla tenebat]
Distulit imperium frater. Quod posteà factum
Diuus vt agnouit, vitream sibi iussit oliui
Adferri phialam, iustâ quam feruidus irâ
Proijciens lapidi allisit; parere iubentis
Hoc facto Monachos ostendens esse necesse
Præsulis imperio. Fuerit sed vitrea quamuis,
Non ampulla tamen saxis allisa, liquorem
Perdidit ex casu, *velút ante sed integra mansit.*

CAPVT XXIX.

De dolio vacuo, oleo impleto.



Va increpatione completâ, sese cum ijsdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, vbi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium & coopertum. Cumque Sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem dolij, oleo excrescente, subleuari. Quo commoto atque subleuato, oleum quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimentum loci, inquo incubuerat, inundabat. Quod BENEDICTVS DEI famulus, vt aspexit, protinus orationem compleuit, atque in pauimentum, oleum defluere cessauit. Tunc diffidentem inobedientemque fratrem latiùs admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatem. Idem verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis Pater virtutem Omnipotentis DEI, quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat, nec erat iam vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset, qui in vno eodemque momento pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

De oleo precibus impetrato.

EPIGRAMMA.

INcenso, precibusque viam Psaltes notat vnam,
Cur trahis hâc oleum Tu BENEDICTE viâ?
Dicitur ignis amor, qui oleo, nutritur, & ardet,
Exundatque istud, crescat vt arctus amor.

CAPVT XXX.

De monacho à dæmone liberato.



Vadam die dum ad beati Ioannis oratorium, quod in ipsâ montis celsitudine situm est, pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obuiam factus est, cornu & tripedicam ferens, quem cum requisisset, dicens: Quo vadis? ille respondit: Ecce ad fratres vado, potionem eis dare: Itaque perrexit Venerabilis Pater BENEDICTVS ad orationem, quâ completâ concitus rediit. Malignus verò spiritus vnum seniorem monachum inuenit aquam haurientem, in quem statim ingressus est, eumque in terram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cum vir DEI ab oratione rediens, tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodò alapam dedit, & malignum ab eo spiritum protinus excussit, ita vt ad eum redire vlteriùs non auderet.

PETRVS.

Velim nosse, si hæc tanta miracula, virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiã solo voluntatis exhibebat nutu.

GREGORIVS.

Qui deuotâ mente DEO adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quaque ali-

aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cùm enim Ioannes dicat: *Ioan: 1. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri*: Qui filij DEI ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant? Quia enim vtroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus qui Tabitham mortuam orando suscitauit, Ananiam verò & Saphiram mentientes, morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solummodò culpam, quam perpetrauerant, increpasse. Constat ergo, quod aliquando hæc ex potestate, aliquando verò exhibentur ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli DEI BENEDICTI facta nunc replico, in quibus apertè clareat, aliud hunc acceptâ diuinitùs ex potestate, aliud ex oratione potuisse.

Satanas in specie medici fugatur.

ANAGRAMMA.

Ita sanè sat decipiens cum figurâ.

SVmere diuersas quis nescit Dæmona formas?
Atque homini tectos mille parare dolos?
Nunc cantat volucris, volitatq; per aëra pennis;
Nunc serpens terram ventre tumente premit.
Hinnitus imitatur equi, rabiemq; Leonis,
Ipsum non etiam vox asinina pudet.
Addidit atque bouis non rarò cornua fronti;
Non diuersa magis Protheus ora gerit.
Sed quia cuncta hominis condit sua philtra ruinæ,
Humanam speciem sæpiùs ipse refert.
Fit modo fulgenti diues mercator in auro;
Debilis & pauper nunc stipis æra capit.
Rusticus incuruo terram nunc findit aratro,
Nunc veluti miles sæua duella ciet.

Atque

Atque quidem similes Dæmon sumpsisse figuras
A populo visus sæpè stupente fuit.
Sed sumptâ medici specie hunc portare lagenas,
Visere & infirmos, arbitror esse nouum.
Attamen vt medicus, mulâ vectusque biformi,
Cassini ingressus claustra sacrata fuit.
Ille togâ verrente solum, canisque capillis,
Non secus ac Chiron, aut Epidaurus erat.
Læua manus frænum, phialam sed dextra tenebat,
Cætera post eius, pharmaca, tergus erant.
Obuius est Diuo factus prope limina Patri,
Quem falsi medici non latuere doli.
Mox illum intuitus, subeat cur claustra requirit;
Vel quæ susceptæ sit sibi causa viæ.
Ægros respondet medicus se visere fratres:
Hoc dicto, gressu præpete Claustra subit.
Cernite quâ Dæmon sanauerit arte dolentes;
Antidotum Pæon quod nouus iste tulit.
Languida decrepiti possedit corpora fratris,
Vtq; solet, multis subdidit illa malis.
Hæc medicina fuit non facta Machaonis herbis,
Sed de Tartareo sulphure facta stygis.
Cætera turba nouo fratrum perterrita casu,
Abbati socij tristia fata refert.
Hic prope possessum nullâ formidine venit,
Quem postquam tetigit, perfidus hostis abit.

CAPVT XXXI.

De ligato rustico solo aspectu viri DEI *soluto.*



Othorum quidam Galla nomine perfidiæ fuit Arianæ, qui Totilæ Regis eorum temporibus, contra Catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crude-

crudelitatis exarsit, ita vt quisquis ei Clericus, Monachusque, ante faciem venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quâdam verò die auaritiæ suæ æstu succensus, in rapinam rerum inhians, dum quemdam rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumque per supplicia diuersa laniaret, victus pœnis rusticus, sese, res suas BENEDICTO DEI famulo commendasse professus est, vt dum hoc à torquente creditur, suspensâ interim crudelitate, ad vitã hora repararetur. Tunc idem Galla cessauit rusticũ tormentis affligere, sed eius brachia loris fortib9 astringens, ante equũ suum cœpit impellere, vt quis esset BENEDICTVS, qui eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachijs rusticus antecedens, duxit ad Sancti viri monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit & legentem. Eidem autem subsequenti, & sæuienti Galliæ rusticus dixit? Ecce iste est, de quo dixeram tibi, BENEDICTVS Pater. Quem dum feruido spiritu, cum peruersæ mentis insaniâ fuisset intuitus, eo terrore quo consueuerat, acturum se existimans, magnis cæpit vocibus clamare, dicens: Surge, surge, & res istius rustici redde, quas accepisti. Ad cuius vocem vir DEI protinus oculos leuauit à lectione, eumque intuitus mox etiam rusticum, qui ligatus tenebatur, attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miromodo tanta se celeritate cœperunt illigata brachijs lora deuoluere, vt dissolui tam concitè nullâ hominum festinatione potuissent. Cumque is, qui ligatus venerat, cœpisset subito astare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla, ad terram corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans, se orationibus illius commendauit. Vir autem Sanctus à lectione minimè surrexit: sed vocatis fratribus, eum introrsus tolli, vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantæ crudelitatis insaniâ quiescere deberet, admonuit. Qui fractus, recedens, nil vlteriùs petere à rustico præsumpsit, quẽ vir Domini non tangendo, sed respiciendo soluerat. Ecce est, Petre, quod dixi: quia hi qui Omnipotenti DEO familiariùs seruiunt, aliquando mira facere etiam ex potestate possunt. Qui enim ferocitatem Gothi terribilis sedens repressit, lora verò nodosque ligaturæ quæ inno-

centis brachia astrinxerant, oculis dissoluit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursum quoque quale quantumque miraculum orando voluit obtinere, subiungam.

Hic Diûs vincula resoluit.

ANAGRAMMA.

Vir sicut sol luce diuinâ.

R*Vsticus à quodam captiuus milite Gallâ,*
Cauda astrictus equi currere iussus erat.
Eminus vt vidit Pater hæc spectacula Diuus,
Aspectu potuit soluere vincla suo.
Sic agit in distans, nec non virtute remotâ
Effectus varios Phœbus in Orbe parit.
Vir *fuit hic sanctus* Diuinâ luce *refulgens,*
Hinc etiam distans sol *velut egit opus.*

CAPVT XXXII.

De mortuo suscitato.



Vadam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus: quidam verò rusticus defuncti filij corpus in vlnis ferens, orbitatis luctu æstuans, ad monasterium venit, BENEDICTVM Patrem quæsiuit. Cui cum dictum esset, quia idem Pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante Monasterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus, ad inueniendum venerabilem Patrem, sese in cursum concitus dedit. Eadem verò horâ vir DEI ab agri opere iam cum fratribus reuertebatur.

Quem

Quem mox vt orbatus rusticus aspexit, clamare cœpit: Redde filium meum, redde filium meum. Vir autem DEI in hac voce substitit, dicens. Numquid ego filium tuum tibi abstuli? Cui ille respondit: Mortuus est, veni, resuscita eum. Quod vt mox DEI famulus audiuit, valde contristatus est, dicens: Recedite, fratres, recedite: hæc nostra non sunt, sed Sanctorum Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in suâ petitione perstitit, iurans, quòd non recederet, nisi eius filium resuscitaret. Quem mox DEI famulus inquisiuit, dicens: vbi est? Cui ille respondit: Ecce corpus eius ad ianuam Monasterij iacet; vbi cùm vir DEI cum fratribus peruenisset, flexit genu, & super corpusculum infantis incubuit, seseque erigens, ad cælum palmas tetendit dicens: Domine, non aspicias peccata mea, sed fidem huius hominis, qui resuscitari filium suum rogat, & redde in hoc corpusculum animam, quam abstulisti. Vix in oratione verba compleuerat, & regrediente animâ, ità corpusculum pueri omne contremuit, vt sub oculis omnium, qui aderant, apparuerit concussione mirificâ tremendo palpitasse. Cuius mox manum tenuit, & eum Patri viuentem atque incolumem dedit. Liquet, Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petijt, vt exhibere potuisset.

PETRVS.

Sic cuncta esse vt asseris, constat patenter: quia verba quæ proposueras rebus probas. Sed quæso te, vt indices, si Sancti viri omnia quæ volunt, possunt: & cuncta impetrant, quæ desiderant obtinere.

Hic puerum resuscitat.

ANAGRAMMA.

Hæc sit precum virtus.

IN natos pietas quæ cernitur esse Parentum,
Nos satis illorum vitaque, morsq; docent.
Tristia Natorum videant si fata priores,
Hæc multis lacrymis nocte, diéque gemunt.
Cur plorans Niobe mutauit corpora saxo?
Natorum ratio mors violenta fuit.
Optat quis Monicæ lacrymarum noscere causam?
Deflebat Nati certa pericla sui.
Velauit faciem densâ caligine Titan,
Dum Phaêton cæli lapsus ab arce fuit.
Qui violenta sui non fleret funera nati,
Non verus genitor, tigris at ille foret.
Hoc quidam puerum complexus amore paterno
Rusticus, exanimem dum sine voce videt,
In lacrymas resolutus abit, totùsque dolore
Deficit, vt nati frigida membra tenet.
Vix puer hic matris claustris vitalibus alui
Prodierat, risu nouerat atque Patrem,
Imperio Lachesis, sæuâ cùm cuspide teli
Huic vitam subitò mors inopina rapit.
Tela priùs sensit, nouit quàm nomina mortis,
Paruulus afflicti gaudia cuncta Patris.
Pusio pulcher erat, flauenti crine decorus,
Ore nitens niueo, purpureisque labris.
Rusticus hic quamuis, nil rusticitatis habebat;
Patre sed illustri Principe dignus erat.
Quæ Pater amisso quæret solatia nato?
Quem poterit lacrymis hic statuisse modum?
Defuncto similis puero vix distat ab ipso,
Sic dolor illius pectora mœstus habet.
Vnica funesto superest medicina dolori,
Si nati vegetet corpora vita redux.
Vitales redeat si non defunctus in auras
Filius, afflictum mors trahet atque Patrem.
Hoc BENEDICTE tuâ sperat virtute, Tonantis

Rusticus eximio poſſe fauore frui.
Exanimi credit vitam te reddere poſſe,
Prodigio vires non ſuperante tuas.
Constrictis igitur puerum complexus in vlnis,
Cœnobij ſacros mox venit ante lares.
Primáque feſtino tetigit dum limina greſſu,
Affatus Diui Præſulis ipſe petit.
Hunc vbi vicinis operari nouit in agris,
Fratribus adiunctis & renouare ſolum;
Vt currat citiùs, puerum deponit ab vlnis,
Cœnobij primas quem locat ante fores.
Ad Diuum veniens lacrymis ſtillantibus, ipſum
Vt Claustrum repetat, ſupplice voce rogat.
Ante fores, nati ſe frigida membra locaſſe
Aſſerit, hæc vitæ reſtituique petit.
Talia mirando BENEDICTVS *verba petentis,*
Hoc ſe prodigium poſſe patrare negat.
Sed magis atque magis renuentem rusticus vrget,
Auget & innatâ ſimplicitate fidem.
Permoti lacrymis fratres, precibusq; rogantis,
Vlteriùs pergunt ſollicitare Patrem.
Tunc totâ repetit Claustrum comitante catervâ,
Accelerans q; gradum mox venit ante fores.
Hîc genibus flexis oculos ad ſidera tollens,
Ad ſuperos mittit talia verba Pater:
O Deus! arbitrio cuius mors ſpicula torquet,
Cuius & eximio munere vita datur;
Huius cerne Patris lacrymas, te quæſo, dolentis,
Quamque gerit firmam pectore cerne fidem.
Fac eius redeat Nati rediuiuus in auras
Spiritus, afflicti ſola medela Patris.
Vix bene finierat BENEDICTVS *vota precantis,*
Cùm cœpit rigidis motus adeſſe fibris.
Contremuit corpus, proprias cùm ſpiritus ædes
Ingreſſus vitâ mox redeunte fuit.

Hunc Pater ambabus gaudens complectitur vlnis,
Et iungit teneris oscula multa labris.
Vtque tulit Diuo dignas pro munere grates,
Cara fouens gremio pignora, lætus abit.

CAPVT XXXIII.

De miraculo Scholasticæ sororis eius.

GREGORIVS.



Visnam erit, Petre, in hâc vitâ Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo ter Dominum rogauit, & tamen quod voluit, obtinere non valuit? Ex quâ re necesse est, vt tibi de venerabili Patre BENEDICTO narrem: quia fuit quiddam quod voluit, sed non valuit implere. Soror namque eius Scholastica nomine, Omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel, per annum venire consueuerat. Ad quam vir DEI, non longe extra ianuam, in possessione monasterij descendebat. Quâdam verò die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis eius descendit frater: qui totum diem in DEI laudibus sacrisque colloquijs ducentes, incumbentibus iam noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem Sanctimonialis femina soror eius eum rogauit, dicens: Quæso te, vt istâ nocte me non deseras, & vsque mane de cælestis vitæ gaudijs loquamur. Cui ille respondit: Quid est, quod loqueris soror? manere extra cellam nullatenus possum.

Tanta verò erat cœli serenitas, vt nulla in àëre nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cùm verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus Omnipotentem Dominum rogatura, declinauit. Cumque de mensâ leuaret caput, tantâ coruscationis

& tonitrui virtus, tantaque inundatio pluuiæ erupit, vt neque venerabilis BENEDICTVS, neque fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluuium in mensam fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluuiam traxit. Nec paulò tardiùs post orationem inundatio illa secuta est: sed tanta fuit conuenientia orationis & inundationis, vt de mensa caput iam cum tonitruo leuaret: quatenus vnum idemque esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere. Tunc vir DEI inter coruscos & tonitruos, atque ingentis pluuiæ inundationem, videns se ad monasterium non posse remeare, cœpit conqueri contristatus dicens. Parcat tibi Omnipotens DEVS, Soror, quid est, quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti: rogaui Dominum meum, & audiuit me. Modo ergò, si potes, egredere, & me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem exire extrà tectum non valens, quia remanere spontè noluit, in loco mansit inuitus. Sicque factum est, vt totam noctem peruigilem ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicariâ relatione satiarent. Quâ de re dixi: eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem adspicimus, dubium non est, quin eândem serenitatem voluerit, in quâ descenderat, permanere: sed contra hoc, quod voluit, in virtute Omnipotentis DEI ex feminæ pectore, miraculum inuenit. Nec mirum, quod plus illo femina, quæ diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit. Quia enim iuxta Ioannis vocem, DEVS charitas est, iusto valdè iudicio illa plus potuit, quæ ampliùs amauit.

PETRVS.

Fateor multum placet, quod dicis.



Hic

Hic sanctus sororem suam inuisit.

ANAGRAMMA.

Sic sermonis suauitas cor munit.

TEmpore non quouis hominem nocet esse locutum,
Est etiam interdum nam tacuisse malum.
Magna quidem est virtus fræno compescere linguam,
Conclusum digitis ósque tenere suis.
Attamen vt pariles animi virtutibus extant,
Prodest, si referant verba sacrata simul.
Qui pius est, pia verba lubens proponit, & audit:
Non alio exoptat se recreare modo.
Illa fuit pariter BENEDICTO *summa voluptas,*
Præbere alloquijs tempora certa pijs.
Visit vt ergo suum de more Scholastica fratrem,
Ingressa hospitij proxima tecta fuit.
Hîc flexis genibus primum se Regis Auerni
Aduersum, precibus munit vterque dolos.
Tunc Pater incipiens vultu ridente, sorori
Quæ pridem didicit, cælica verba refert.
Quid virtus, pietas, narrat quid mortis imago,
Præmia Sanctorum, gaudia quanta poli.
Quàm sit dulce iugum CHRISTI, *quàm sitq; beata,*
Quam degunt Monachi, vita sacrata DEO.
Proxima cognoscat Diuus cùm fata Sororis,
Qua ratione illi sunt subeunda docet.
His, alijsq; simul dictis ex ordine verbis,
Est impensa, iubar Sole negante, dies.
Gignebant tenebras stellata crepuscula noctis,
Sermonisq; pij finis habendus erat.
Propria cùm Diuus cupiens ad Claustra redire,
Discessum hospitij promptus ab æde parat.
Ecce soror fratris verbi dulcedine victa,

Cœpta rogat supplex continuare velit.
Quo magis illa petit, renuit magis ille petenti,
Non ita Germanæ, quàm gregis vrget amor.
Quid faciet deuota Soror? muliebre leuamen
Tristitiæ quærens, fletibus ora rigat.
Imponensq́; caput mensæ [mirabile dictu]
Augmentum lacrymis, imbribus ipsa parit,
Antè serenato fuerat lux aurea cælo,
Purus & Orion, purus & Hædus erat.
Mox vbi Diua Soror lacrymas profudit ocellis,
Mox cælo pluuiæ fluxit & imber aquæ.
Atque simul pluuiæ magno sunt mixta fragore
Fulmina Dircæi tela trisulca Iouis.
Egreßum laribus iam fulgur, & vnda negabant,
Quod Pater aduertens, talia verba refert;
Quid soror egisti? parcat tibi Numinis ira;
Fulminibus vel aquis non retinendus eram.
Fratris ad ista Soror subdit, non culpa timenda est;
Numinis hoc etenim munus adesse scias.
Quas dedit ergo Deus noctis sermonibus horas,
Te (rogo) discursus nunc peragente fluant.
Annuit inuitus frater, vigiléſque sacratis
Coniuncti alloquijs tempora noctis agunt.

CAPVT XXXIV.

De anima sororis eius visa.

GREGORIVS.



Vmque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, vir DEI ad monasterium redijt. Cùm ecce post triduum in cellâ consistens, eleuatis in aëra oculis, vidit eiusdem Sororis suæ animam de eius corpore egressam, in columbæ

ſpecie cæli ſecreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, Omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiusq́; obitum fratribus denunciauit. Quos etiam protinus miſit, vt eius corpus ad monaſterium deferrent, atque in ſepulchro quod ſibi ipſe parauerat, ponerent. Quo facto contigit, vt quorum mens vna ſemper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec ſepultura ſeparaaret.

In ſpecie Columbæ videt ſororis ſuæ animam.

ANAGRAMMA.

Sanè nouit ſpecioſam mirabili decore ſuauem.

FElle Columba carens, niueisq́; argentea pennis,
Candida virgineæ ſymbola mentis habet.
Illa ſuper Christum, *conſtant quo Principe cœtûs*
Agmina parthenij, viſa ſedere fuit.
Crimine pura fuit quia tota Scholaſtica Virgo,
Ecce niuens meritis aſtra Columba petit.
Aſtra Columba petit Benedicto *fratre, volatum*
Et pennas volucris, conſpiciente procul.
Lætus in aſpectu Diuus vocat illicò fratres,
Illis Germanæ nuntiat atque necem.
Quæq́; ſepulchra ſibi curauerat, illa ſororis
Corporis in tumulum ſint reſerata, iubet.
Vtpote quos viuos ſanguis, pietáſque ligarat,
Defunctos idem iungeret atque locus:



CAPVT XXXV.

De mundo ante oculos eius collecto, & de anima Germani Capuanæ ciuitatis Episcopi.

ALio quoque tempore Seruandus Diaconus atque Abbas eius monasterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratiâ ex more venire consueuerat. Eius quippe monasterium frequentabat, vt quia idem quoque vir doctrinâ gratiæ cælestis influebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba transfunderent, & suauem cibum cælestis patriæ, quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltem suspirando gustarent. Cumque horâ iam quietis exigeret, in cuius turris superioribus se venerabilis BENEDICTVS, in eius quoque inferioribus se Seruandus Diaconus collocauit: quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius continuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant.

Cumque vir DEI BENEDICTVS quiescentibus adhuc fratribus, instans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans, & Omnipotentem DEVM deprecans, subitò intempestâ noctis horâ respiciens, vidit fusam lucē desuper, cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valdè in hac speculatione secuta est: quia sicut post ipse narrauit, omnis etiam mundus, velut sub vno solis radio collectus, ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis Pater dum intentam oculorum aciem in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra igneâ ab Angelis in cœlum ferri. Tunc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum iterato bis terque eius nomine, cum clamoris magnitudine vocauit. Cumque ille fu-

issct

fuiſſet inſolito tanti viri clamore turbatus, aſcendit, reſpexit, partemq; iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obſtupeſcenti miraculum, vir DEI per ordinem, quæ fuerant geſta, narrauit: ſtatimque in Caſinum caſtrum religioſo viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbem ſub eadem nocte tranſmitteret, & quid de Germano Epiſcopo ageretur, agnoſceret & indicaret. Factumque eſt: & reuerendiſſimum virum Germanum Epiſcopum is, qui miſſus fuerat, iam defunctum reperit, & requirens ſubtiliter, agnouit eodem momento fuiſſe illius obitum, quo vir Domini eius cognouit aſcenſum.

PETRVS.

Mira res valde, & vehementer ſtupenda. Sed hoc quod dictum eſt, quia ante oculos ipſius, quaſi ſub vno ſolis radio collectus omnis mundus adductus eſt, ſicut nunquam expertus ſum, ita nec conijcere ſcio, quonam ordine fieri poteſt, vt mundus omnis ab homine vno videatur.

GREGORIVS.

Fixum tene Petre, quod loquor: quia animæ, videnti creatorem, anguſta eſt omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris adſpexerit, breue ei fit omne quod creatum eſt: quia ipſa luce viſionis intimæ mentis laxatur ſinus, tantumq; expanditur in DEO, vt ſuperior exiſtat mundo. Fit verò ipſa videntis anima etiam ſuper ſemetipſam. Cumque in DEI lumine rapitur, ſuper ſe in interioribus ampliatur: & dum ſub ſe conſpicit, exaltata comprehendit, quam breue ſit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo DEI, qui in turri globum igneum, Angelos quoque ad cœlum redeuntes videbat, hæc procul dubio cernere non niſi in DEI lumine poterat. Quid itaque mirum, ſi mundum ante ſe collectum vidit, qui ſubleuatus in mentis lumine, extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non cœlum & terra contracta eſt, ſed videntis animus eſt dilatatus, qui in DEO raptus, videre ſine difficultate potuit omne, quod infra DEVM eſt. In illa ergo luce, quæ exterioribus oculis fulſit, lux interior in mente fuit, quæ videntis

animum cum ad superiora rapuit, ei quam angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

PETRVS.

Videor mihi vtiliter non intellexisse, quæ dixeras; quando ex tarditate mea tantum creuit expositio tua. Sed quia hæc liquide meis sensibus infudisti, quæso, vt ad narrationis ordinem redeas.

Germani Præsulis videt animam.

ANAGRAMMA.

Per ea mira DEI lumina sit magnus.

GErmanus meritis, Præsul, fæcundus & annis,
Dum pius expleto munere fata subit;
Cernitur in sphæra BENEDICTO, luce nitenti
Deferri Angelicâ, desuper astra, manu.
Totus & inspicitur radio conclusus in vno
Mundus, & inde Dei *visio* mira *patet.*
Quàm magnus *BENEDICTE* Dei per lumina *fulges,*
Sic etenim es viso proximus esse Deo.

CAPVT XXXVI.

Quod Regulam monachorum scripserit.

GREGORIVS.



Libet, Petre, adhuc de hoc venerabili Patre multa narrare; sed quædam eius studiose prætereo, quia ad aliorum gesta voluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quod vir DEI inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non medio-

mediocriter fulsit. Nam scripsit Monachorum Regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione Regulæ omnes magisterij illius actus inuenire; quia Sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

EPIGRAMMA.

QVæ Deus ad Moysen sacro mandata tulisti
Monte, dedit populo sedulus ille tuo.
Spiritus Omnipotens BENEDICTI *ex ore locutus;*
Nos docuit Christi subdere colla iugo.
Sed quia mortales sine te nil posse fatemur,
Quæsumus, vre sacris corda sepulta focis.
Hinc erit, vt Patris Nostri præcepta colentes,
Scandamus solij, tecta decora tui.

Regulæ Summarium;

QVæ documenta suis scripsit BENEDICTVS *alumnis*
Plurima vis versu clausa videre breui?
LINQVE VOLVNTATEM PROPRIAM, ET MOX PROMPTVS OBEDI
Regula vix aliud, quod sacra mandet, habet.

CAPVT XXXVII.

De Prophetica sui exitus fratribus denuntiatione.

EOdem verò anno, quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitus denuntiauit diem: præsentibus indicens, vt audita per silentium tegerent, absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret, quando eius anima de corpo-

corpore exiret. Ante sextum verò sui exitus diem aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingrauesceret, sexta die portari se in oratorium à discipulis fecit, ibique exitum suum Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autem longiùs posito, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata pallijs atque innumeris corusca lampadibus via, recto Orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via, quā cernerent, inquisiuit. Jlli autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cœlum BENEDICTVS ascendit. Tunc itaque Sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo, quod eis prædictum fuerat, agnouerunt. Sepultus verò est in oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod destructa ara Apollinis, ipse construxit. Qui & in eo specu, in quo priùs habitauit, nunc vsque si petentium fides exigat, miraculis coruscat.

Diuus emoritur BENEDICTVS.

ANAGRAMMA.

Vt vir in DEVM & decus orbis.

STat sua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus,
Occinit vt vates, mors sua quemq; manet.
Jllaque dum tenso telum demittit ab arcu,
Quam voluit metam missa sagitta, ferit.
Si timidus fugias, fugientis terga sequetur,
Amplius vt timeas, te magis illa premit.
Expectare iuuat venientis tempus, & horam,
Eius & aduersum spicula ferre gradum:

Sic

Sic vbi fatidici BENEDICTVS munere Vatis
 Agnouit vitæ puncta suprema suæ;
Ad sacras voluit deferri languidus ædes,
 Vt magis hâc moriens tutus in arce foret.
Hic flexis genibus, fratrum cingente coronâ,
 Ne forte in terram languida membra ruant,
Presbyteri manibus CHRISTI Venerabile corpus
 Accipit, & contra se parat arma stygis.
Iamq; grauescentis morbus dum febris adurit
 Pectus, & ex toto corpore vita fugit.
Auxilio fratrum surgit formidine nullâ,
 Expectans rigidæ spicula tensa necis.
Languida non molli ponit sua membra cubili
 Sed subit erecto corpore mortis iter.
Si decet illustres stando expirare Monarchas,
 Hunc deceat Sanctum cur recubando mori?
Stat necis impauidus, tensisq; ad sidera palmis,
 Scandit ad auctorem mens resoluta, suum.
Emoritur Diuus: mortem sed vita perennis
 Dum sequitur, viuens mortuus astra petit.
Fratribus en binis cœlo via lata sereno
 Cernitur ex auro, lampadibúsque nitens.
Et via sublimes tendens orientis ad oras,
 Sternitur excultis floribus, atque rosis.
Eius in extremâ, barbâ venerandus, & auo,
 Parte senex residens, talia verba refert:
Quæ modo conspicitur tanto fulgore corusca,
 Est via, regna poli quâ BENEDICTVS adit.
Sic BENEDICTVS adit, verè benedictus, Olympum,
 Vir pius, inq; Deum qui decus Orbis erat.



CAPVT XXXVIII.

De insana muliere in eo specu sanata.



Vper namque est res gesta, quam narro. Quædam mulier mente capta, dum sensum funditus perdidisset, per montes & valles syluas & campos, die noctuque vagabatur, ibi tantummodo quiescebat, vbi hanc quiescere lassitudo coëgisset. Quadam verò die dum vaga nimiũ erraret, ad beati viri BENEDICTI specum deuenit, ibique nesciens ingressa mansit. Mane autem facto, ita sanato sensu egressa est, ac si eam nunquam insania capitis vlla tenuisset: quæ omni vitæ suæ tempore in eadem, quam accepit, salute permansit.

PETRVS.

Quidnam esse dicimus, quod plerumque in ipsis quoq; patrocinijs Martyrum sic esse sentimus, vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciant, vbi minimè per semetipsos iacent?

GREGORIVS.

Vbi in suis corporibus Sancti Martyres iacent, dubium, Petre, non est, quòd multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrumne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat, quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum verò mens in DEO fixa est, tanto maius habet fidei meritum, quanto illic eos nouit, & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vnde ipsa quoque veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit: *Ioan.: 16. Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos.* Cum enim constet, quia paracletus Spiritus à Patre semper procedat & Filio, cur se filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui à filio

nun-

nunquam recedit? Sed quia discipuli Dominum in carne cernentes, corporis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur: Nisi ego abiero, paracletus non veniet: ac si aperte diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritus, non ostendo: & nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritualiter amare.

PETRVS.

Placet quod dicis.

GREGORIVS.

Aliquantulum iam à locutione cessandum est, vt si ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

SANCTISSIMO PATRIARCHÆ, DIVO BENEDICTO,

Ab omnibus creaturis datur laus & benedictio.

DVm BENEDICTE tibi gestit benedicere Musa,
Prouocat ad laudes cuncta creata tuas.
Cælestes genij BENEDICTO promite laudes:
Grataque dent pariter cantica, regna poli.
Quæ voluuntur aquæ liquidum super æthera, dicant
Quod tibi conueniens sit, BENEDICTE, melos.
Virtutes Domini, BENEDICTI extollite facta,
Huius sunt etenim facta stupenda viri.
Sol & Luna pari Diuo huic benedicite cantu,
Cætera mellifluos sidera dentq; sonos.
Jmber & in laudes veniat cum rore paratus,
Atque Dei promptè spiritus omnis, ades.
Vos calor, atque gelu, simul ignis, frigus & æstus,
Noctes atque dies, cum glacieque niues,

Fulgu-

Fulgura, lux, tenebræ, nubes benedicite Divo,
Cui bene si canitis, plus benedictus erit.
Tu quoque terra ferax, benedic cum germine stirpi,
Maxima Sanctorum quâ fuit orta cohors.
Montibus adiuncti colles, benedicite Patri,
Qui viuens veluti mons Pietatis erat.
Vos maria & fontes, vos flumina cætera, laudes
Dicite ei, æternæ quo fluit humor aquæ.
Vos Cete, & liquidis quæcumque mouentur in vndis,
Aëra per vacuum quæq; feruntur aues;
Brutáque cum cunctis animantibus addite cantus,
Lætáque vos homines iubila ferte homini.
Vosque Sacerdotes famuli gaudete Tonantis,
Vos iusti iustum tollite in astra virum.
Vos humiles humilem dignis celebrate camœnis,
Sanctus, & in Sancti, concinat ore, decus.
Vos Benedictini BENEDICTVM *extollite Patrem,*
Tres veluti pueri, pangite metra Patri.
Sis BENEDICTE *Pater totum benedictus in æuum,*
Vtq; Deo similis, sis benedictus, Amen.

CHRONOTAXIS VITÆ S. BENEDICTI.



ORdinem temporum, historiæ animam lucemque esse, non malè quidam censent; etenim vt Tatianus Assyrius oratione ad Græcos, ait; *apud quos confusa & dissoluta temporum ratio, illis nec historiæ veritas constare potest.* Rectè proinde Chrysostomus hom: 2. in Isaiam. *Quemadmodum agris termini columnæque non sinunt arua confundi, sic tempora non sinunt confundi res gestas; sed dum dirimunt alias ab alijs, & in ordinem congruentém dirigunt, multâ nos liberant turbatione,* Cum autem S. Gregorius Dialogos,

Vi-

Vitamque S. BENEDICTI ſcribens, Chronologiæ rationem non obſeruauerit, non abs re fuerit, maioris lucis gratiâ, poſt præmiſſam Vitam & miracula S. Patris, ſupputationem annalem breuiter repræſentare. Etenim, vt citato loco ait Chryſoſt: Perinde atque *lucerna in candelabro poni ſolet; ſic in frontiſpicio literarum addnntur Conſulum nomina, vt omnibus quæ ſubijciuntur præluceant; quæ ſi ſuſtuleris, lumen ſuſtuleris, omniaq; tenebris, multaque turbatione compleueris.*

Quoniam autem non ſatis exploratum eſt, quo præcisè menſe, aut die S. BENEDICTVS natus ſit, quo Romam petierit, quo inde receſſerit, quo à B. Romano habitum monaſticum receperit, quo item Caſinum adierit; hinc adeò eſt, vt tam exacta annorum ſupputatio iniri nequeat, dum ſcilicet neſcitur temporis punctum, à quo ſumendum exordium habitationis Romanæ, vel triennalis in ſpecu latebræ, vel commorationis in Caſino. Ex quo proinde capite crediderim inter Auctores exortam varietatem, in deſignatione annorum S. BENEDICTI. Conſtantinus tamen Bellottus, Caſinenſis Monachus, libro quem inſcripſit *Gregorius Magnus inſtituto S. BENEDICTI reſtitutus*, Colloq: 2. concinnans chronologicam annorum S. P. BENEDICTI ſeriem, eam vocare non dubitauit, *perſpicuam & certiſſimam temporum ſupputationem.*

Benedictus etiam Hæftenus Affligenienſis Monaſterij Ord. S. Ben: Præpoſitus, in Commentario ſuper Vitam S. BENEDICTI à Magno Gregorio ſcriptam, edito, ex prædicti Bellotti calculo, quam ex Iepezij Annalibus, aliorumq; ſcriptis, Chronotaxim Vitæ S. BENEDICTI coordinauit: eam nos quoq; ab eo mutuò petitam, lectori exhibemus.

Anni Chriſti.	Anni Ætat S. Bē.	
480.		Nurſiæ, ex Patre *Anicio Eupropio*, & *Abundantiâ* matre S. Benedictus naſcitur, eodem cum ſorore Scholaſticâ partu, quo & mater defuncta.
481.	1.	Agit, abſoluitq; ætatis annum primum.
482.	2.	A nutrice Cyrillâ educatur.
483.	3.	His annis vſque ad ſeptimum degit in domo paternâ.

484	4.	
485	5.	
486.	6.	
487.	7.	Circa hæc, vt creditur, tempora, cum Nutrice, Romam ſtudiorum causâ mittitur.
488.	8.	Literarũ ſtudijs hoc, & ſequentibus annis vſque ad decimũ tertiũ ferè completum Romæ operam nauat.
489.	9.	
490	10.	
491.	11.	
492.	12.	
493.	13.	Romam cum Nutrice deſerit, ſolitarium Deo vacaturus locum quærens.
		Jn Enſide fractum precibus reſtaurat capiſterium *C. 1.*
494.	14.	Deſertâ Nutrice, clam Sublacum petit; Habitu Monaſtico à Romano donatur; ſpecum incolit. *Cap: 1.*
495.	15	
496	16.	
497.	17.	Paſchatis ſacrodie Presbyter ei diuino monitu cibos defert. *Capite 1.*
		Jnuenitur à paſtoribus. *Capite 1.*
		Grauiſſimam carnis tentationem in ſpinis ſe volutans ſuperat. *Capite 2.*
498.	18	
499	19	
500.	20	
501.	21.	
502.	22.	
503.	23.	
504.	24	Conſtantinus Bellottus hoc anno accidiſſe vult ſupradictam tentationem, eaque ſuperatâ,
505.	25.	Poſtulatum in Abbatem.
506	26.	
507	27.	
508.	28.	

509.	29.	Multi relicto mundo, Viri Sancti magisterio se subijciunt. *Capite 2.*
510.	30.	A Monachis in vico Varronis degentibus in Abbatē eligitur, à quibus veneno appetitus, discedens, adamatam repetit solitudinem. *Cap: 2.*
		Nascitur Sanctus Maurus.
511	31.	Hoc vnde viginti annorum spatio, ab anno scilicet Christi 510. vsque ad 529. excitata sunt in Sublacensi solitudine duodecim Monasteria. *Cap: 3.*
512.	32.	
513	33.	
514.	34.	Ab hoc anno vsque ad 520. censet Bellottus ædificata duodecim Monasteria.
515.	35.	Natus est S. Placidus. *Capite 3.*
516.	36.	
517	37	
518.	38.	
519.	39.	
520.	40.	Jnitia Congregationis Specuensis hoc anno reponit *Wion Ligni vitæ lib: 3 Cap: 11.*
521.	41.	
522.	42.	Maurum & Placidum ad monasticum habitum suscipit S. Benedictus. *Capite 3.*
523.	43	Ambulās super aquas S. Maurus Placidū educit. *C. 7.*
524	44	
525.	45.	
526.	46.	
527.	47.	Circa hæc tempora antequam S. Pater Casinum peteret, ordinatus fuerat S. Maurus Præpositus siue Prior claustralis. *Cap: 6.*
528	48.	Florentius Presbyter diabolico stratagemate S. Patri, eiusque discipulis insidias struit. *Cap: 8.*
529.	49.	Sublacum deserit, montem Casinum adit, ibidemque à Tertullo, alijsq; Nobilibus visitatur. *Cap: 8*
530.	50.	Hoc, & consequentibus aliquot annis ædificatur Casinense Cœnobium, quod biennio absolutum Bel-

		Iottus tradit.
		Multi Nobiles ad S. Benedictũ in montem Casinũ relicto sæculo cõmigrarunt. *Masæus in Chronic: lib: 12.*
531.	51.	
532.	52.	
533.	53	
534.	54	
535.	55.	
536.	56.	S. Placidus mittitur in Siciliam, multisque claret miraculis.
		Eodem hoc anno ponitur obitus S. Germani, & mirabilis illa S. Benedicti visio, quâ totum mundum in solis radio collectum vidit. *Capite 35.*
537.	57.	Quadriennio toto S. Placidus monasterium Messanæ construit.
538.	58	
539.	59.	Fame Campaniam vastante, indigentibus S. BENEDICTVS subuenit, erogatoque omni tritico, ducentos farinæ modios cælitus accipit. *Cap: 21.*
		Vas vitreũ in saxa proiectum non frangitur. *Cap: 28.*
		Oleum ex vacuo vase precibus scaturire facit. *Cap: 29.*
		Hoc anno Breuiarium Romanum, & Baronius in Notis ad Martyrologium ponit Martyriũ S. Placidi.
504.	60.	Præest S. Placidus, constructo à se Sancti Ioannis Baptistæ monasterio.
541	61.	Sanctus Placidus cum socijs martyrio coronatur.
543.	62.	Sub finem huius anni Legati ex Francia Casinum veniunt, discipulos à S. BENEDICTO petentes.
543.	63.	Totila S. BENEDICTVM inuisit, quem detectâ eius fraude, vir Sanctus obiurgat, eique futura prædicit. *Cap: 14. & 15.*
		Futuram monasterij sui præuidet vastationẽ. *Cap: 17.*
		Solo aspectu ligata rustici brachia dissoluit. *Cap: 31*
		Vltimo hoc anno 10. Ianuarij Sanctus Maurus Casino discedens, Galliam petit.

Sextâ

Sextâ Februarij vltimò cum forore Scholasticâ colloquitur. *Cap: 33.*
Decimâ Februarij vidit in columbæ specie sororis suæ animam in cælum deferri. *Cap: 34.*
Decima sexta Martij, mortis præscius, suum sibi Sanctus Pater iubet aperiri sepulchrum. *Cap: 37.*
Vigesima prima Martij, hora tertia matutina, stans inter discipulorum manus efflat animam, quæ illustri via ad cælum deduci visa est. *Cap: 37.*

Breuior annorum S. Benedicti Periodus.

Habitauit S. Benedictus	Nursiæ	7.	*annis.*
	Romæ	7.	
	Sublaci	35.	
	Casini	14.	

summa annorum mortalis vitæ 63.





TRACTATVS SECVNDVS.

DE VTILITATE REGVLÆ S. BENEDICTI ABBATIS,

Et quos fructus in Ecclesia DEI *Ordo Benedictinus protulerit.*

LECTORI Beneuolo S.

NE quæso iactantiæ tribuas, Amice lector, quod ipsa dictauit, imo extorsit necessitas; quod vt constaret vniuersis, tanto simpliciore stylo prodimus, quanto simplicitas aptior est, quam quæsiti verborum colores & fuci, astruendæ veritati. Inualuit apud sectarum primùm Authores, tum sequaces omnes, repetitum toties illud Apostatæ Lutheri, & vulgo plausibile factum: Monachos inutilia terræ pondera quasi vtilem Orbi & Ecclesiæ nauasset operam impius, cum cucullum, & cum cucullo frontem, imò humanitatem exuisset, tot malorum factus author, quot & quales calamitatum moles omnes boni persenserunt. Visi nihilominus periuri & mendacissimi blateronis effatum suâ sententiâ probare, sani sensus & sanctæ fidei homines nonnulli, quibus congeminatum tot vocibus scomma illud, velut dictatum veritatis, ita profundè animo insedit, vt quidquid iam de fama Monachorum detraherent seu rebus, DEO minimè irato facere, sed probante, viderentur. Quo factum, vt quorum vel maximè munus erat, Protectores & Aduocatos agere Cœnobiorum, ij occasione vsi ad

vsi, ad propriam libidinem, ad suos quæcumque possent converterent usus, verum DEO sacrarum facti ex Protectoribus proditores, & protritores, non maiore fructu suo quàm damno eorum, quos bonis ac iuribus sacrilegè exuerant; cum quando vel maximè res suas augere visi sunt, & seris etiam nepotibus abundare, illo delusi somno impiorum, tanto sceleri securè indormientes, iuxta illud vatis Regij: dormirent quidem somnum suum, at nihil inuenirent in manibus suis Psal. 75. sacro nimirum igne, & hæreditatem ipsorum omnem absumente, & iusta Numinis vindicta, hæredes quoque ipsos, omnemque posteritatem impiorum è medio tollente. Quo quidem tot maximarum familiarum interitu, dolendum est, illos etiam vel minimum quidem erudiri & sapere, quorum vel maximè interesset, non ad casum referre, sed causam, sibique ac posteris cauere ab auri sacri nefanda siti, numquam cui semel sapuerit, exsatiandæ, donec toti letheo illi flumini (ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum) æternum immergantur. Obtendunt autem (uti nulli non solent sceleri) vili bombyce pallium, & dum consulis aiunt Magnatum sæculi huius indigentiæ, consuli quoque iuratæ monachorum paupertati, haud minore improbitate illudentes Numini, & Diuis Cænobiorum Tutelaribus, quam Julianus Apostata, qui eademmet accensus siti, sacra congeminans spolia, DEVM Diuosque aiebat thesauris non indigere; quasi verò, quæ semel sibi consecrata essent, Numen non posset, nec asueuisset vindicare. Ita Archidux Monachorum BENEDICTVS non centum siue sexcenta, sed Cænobiorum multa millia perdidit, cum nunquam non essent, qui malum pro bono redderent, & dum seros tanti Patris filios, suâ hereditate exuerent, honorem etiam tanti Tutelaris euertere, & confessurum cum tremendo Iudice, iudicem exasperare atque irritare non vererentur; nulla nec eorum quibus fundata erant, nec quibus consecrata Cælitibus, habitâ ratione, dummodo sui similibus satisfacerent, & excusarent factum, quod fecisse videbantur, dum Monachos incusarent. Querelarum præcipua erat: Inutilia esse terræ pondera: acceptum ex ore tam frugi hominum, imò ab oraculo illius, dictatū, qui author est omnis iniustitiæ, calumniarū, & mendaciorum, cum tamen, etiam ijs qui incusantur tacentibus, sed neque quoquam patrocinante mortalium, ipsi immortales, tot millia ex eodem Ordine cælitum, non tam relictis ingenij innumeris monimentis, quam signis in hodiernam diem loquantur, & prodigijs, quantum non vna solum

vel altera prouincia, sed Ordini BENEDICTI Patris tam Benedicti, debeat orbis terrarum vniuersus. Loquitur terra ipsa tot Martyrum nostrorum sanguine purpurata, tantis Apostolorum nostrorum sudoribus consecrata. Loquuntur ipsi quoque lapides, tot Cœnobiorum, Xenodochiorum, Ecclesiarum & quidem Cathedralium, tot scholarum, tot Bibliothecarum, à Monachis tot ante sæcula, primum condita bono publico ædificia, tantoque decursu sæculorum ab ijsdem seræ posteritati, immortali cum merito consecrata.

Quæ tamen omnia, cum non aspiciant siue videre nolint, quos auaritia vel ambitio, atque æmulatio transuersos semel cœpit abripere, necessarium omnino duximus, cum Parentis sanctissimi, tum Fratrum atq; maiorum omnium famam, & quantum in nobis esset, etiam fortunam & hereditatem vindicare; comprobataq; tot Principum, Regum, Romanorum Pontificum literis & diplomatibus, tot, adeoque diuersis vti illustribus toto orbe monimentis, Monachorum merita, ad compendium quoddam referre, simulq; posteris omnibus demonstratissimum reddere, quantæ temeritatis sit, Tanti nominis Diuo, Monachorum Patriarchæ sanctissimo, singulari Numinis benedictione, instar Abrahami in generationibus suis multiplicato, de illa ipsa DEI Benedictione detrahere; & tot sæculis, inter tantarum Hæresum procellas, perdurantia nominis eiusdem & gloriæ monimenta, tanto post euertere; simulq; tot Regum & Principum Fundatorum supremam voluntatem, liberrimamq; de rebus suis dispositionem cassare, & contra ius Diuinum ac naturale, seros illorum filios, suâ hereditate, qui tanto sudore & sanguine, tot gentium conuersione, adeò legitimè his quasi partis spolijs ditati, perennare vtique nomen suum in posteris suis meruere, plus quàm sacrilegè spoliare: quos potius, si quid à maiorum degenerassent Nobilitate, ad eadem exstimulari, imò bonorum Principum & Pastorum zelo atq; industriâ, cogi opportuisset: ne ipsi etiam Cælitum honori, quibus tot debebantur nominibus, tot consecrata sæculis erant, quidquam detraheretur.

Hoc ipsum, nec quidquam aliud, in hoc sæculorum præcipitio, præcipitanti non tam suo quam alieno scelere Ordini, consulere nos impulit, eiusque auitam tueri gloriam, atq; amplissima de toto orbe merita, succinctè quidem paulo tamen distinctius explicare.

REGV-

REGVLÆ ET ORDINIS SANCTI BENEDICTI, VTILITAS DEMONSTRATVR.



Ihil est quod adeò hominum mentes, ad rei alicuiꝰ amorē & prosecutionē alliciat, nihil quod maiorem æstimationem in opinione humanâ ingeneret, quàm probè cognita, atque expensa eiusdem rei vtilitas. Vtilitate enim ducimur, imò rapimur omnes; & prout res aliqua ad destinatum animo finem consequendum magis minusue apta est, eò etiam magis minusue in pretio est, atque diligitur. Hinc pecunia, quòd eâ alia omnia, quæ homines ad necessitatē aut voluptatē concupiscunt, facilè comparentur, tanti passim fit, vt de eâ dictum sit: *Pecuniæ obediunt omnia.* Itemque, *Et genus, & formam Regina pecunia donat.* Ita agri, vineæ, arbores, fructuum causa coluntur: ita peruerso iudicio, *Vulgus amicitias vtilitate probat.* Adeò scilicet homo naturâ suâ vtilitatis auidus est, vt ei nil nisi quod prodest charum sit. Quare vt Regulæ S. P. N. BENEDICTI, & Vineæ monasticæ Ordinisque ab eo instituti excellentem demonstrem præstantiam, MAGNAM VTILITATEM ei inesse, magna commoda Ecclesiæ ex eo obuenisse, præsenti tractatu confirmabo. Et quidem tantò etiam excellentius, quantò ad ampliora bona consequenda, ipsamque adeò beatitudinem æternam, quæ *bonum summum* est, efficaciora media suppeditat.

Ab hoc capite Regulam S. P. BENEDICTI cùm primis celebrandam censuit Eminentissimus Cardinalis à Turrecremata in Commentario super eandem Regulam, sic loquens: *Commendatur Regula Sancti Patris* BENEDICTI *à magnitudine vtilitatis: studuit siquidem Sanctissimus Pater in hâc suâ Regulâ vtilia docere, exemplo Domini dicentis* (Isaiæ 48.) Ego Dominus docens

te vtilia. *Docet enim huius Clarissimi Patris Regula, sobrietatem, prudentiam, iustitiam, & virtutem: quibus vtilius nihil est in vita hominibus, teste Sancta Scriptura.* (Sap: 2.)

Quod si, vt veritas ipsa dixit, ex fructibus arbor dignoscenda sit; luce meridianâ clarius erit, BENEDICTINÆ Regulæ Arborem longè optimam esse; quæ nimirum vberrimos Fructus dominicis horreis intulerit, vt quidã nostri æui magnæ auctoritatis scriptor dicere non dubitarit: *Post sacratissima & sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, nihil ita in Ecclesia vtile fuisse, ac sanctorum Monachorum Benedictinorum Ordines, & instituta*, vt refert Arnoldus Wion.

Quam Ordinis nostri vbertatem, etiam alij Auctores passim celebrant: & inprimis Iacobus Vitriacus Cardinalis histor: Occiden: cap: 20. de eo refert, *quòd nulla alia Religio, tot sanctis viris abundauerit, aut tanto tempore rigorem disciplinæ conseruauerit, aut tot genuerit Ecclesiæ Pastores; qui excellentis vitæ exemplo, & doctrinæ verbo, collustratis tam multis regionibus, tot è diaboli faucibus animas eripuerint.* Hæc Vitriac⁹. Cui omninò consentit Thomas Bozius, de sig: Eccl: l. 6. c. 6. n. 17. Sic loquens: *Benedictus adolescens, nullis humanarum rerum, quibus mortales interdum capiuntur, præsidijs & ornamentis instructus, audet ante annos mille atque amplius normam vitæ inducere longè austerissimam, ac tot post se sectatores abduxit, vt eorum numerus iniri nullo modo possit. Ex eius verò Familiâ prodierunt tot ac tanti in omni laudum genere virtutumque florentes viri, vt quoquo te conuertas, admiratione defixus tenearis. Quot enim Martyres, quæso, ex illius Ordine? Quot miraculis ac sanctimoniâ præstantissimi viri exierunt? Quot Pontifices Summi & admirandi?* Hæc ille.

Paria quoque adfert, si non maiora, qui eiusdem est cum illo Ordinis, Magnus Annalium conditor Baronius, cuius hæc sunt verba ad annum Christi 529. *Quis Dei consilium non magnoperè admiretur, dum considerat, eo ferme tempore, quo in Oriente Monachismus esset magna ex parte collapsus, eodem in Occidente à S. Benedicto instaurari, atque longè lateq; diffundi obseruantiam monasticæ disciplinæ, eamq; adeò fæcundo germine propagari, cum veluti ex tenui surculo prægrandium exortæ sint frugiferarum arborum siluæ, quæ vniuersam repleuerint Occidentalem Ecclesiam, extiteritq; locuples seminarium, exquo plurimi progressi sint sanctissimi diuersarum Ecclesiarum*

Episco-

Episcopi: nec defuerint ex ijs, qui in throno Apostolico considentes, vniuersam Catholicam Ecclesiam, cum vehementiores vrgerent fluctus, constantissimè gubernarint: progressiq; ex eodem Monachorum Ordine sint, qui Apostolico munere complures barbaras nationes, Christi iugum ferre impatientes, tandem ad Christianam fidem sponte capessendam conuerterint; prodierintq; alij, qui ob suscepta grandia pro religione certamina sint victores consecuti coronam martyrij. Præterimus modo illos, qui sacrarum rerum scientiâ nobiles inter scriptores Ecclesiasticos floruêre; nec numeramus, quæ numerari vix possint, sacrarum examina virginum. Hæc tanta tibi hîc vno intuitu, tanquam immensum cælum in paruo globo descriptum, inspicienda obiter modo proponimus. Ita Illustrissimus Cardinalis.

Sed si spatiosissimi huius Cæli vniuersa sidera, toto orbe clarissimè radiantia, singillatim spectare atque enumerare non possumus: liceat saltem eorum congeriem in certas classes, veluti sphæræ huius maiores circulos distributam, aliquo vsque contemplari. Quod vt iucundius faciamus, lubet è sacræ scripturæ thesauro figuram quandam ac typum præmittere, quæ totius huius discursus adumbret atque repræsentet argumentum.

Gloriosus Apostolus Domini Ioannes, cælestis Ierusalem topographiam exhibens, inter cætera describit eius flumen ex vtraque parte arboribus consitum, de quo sic loquitur Apocal. 22. *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Sanctam hanc ciuitatem in sensu accommodato, Ordinem S. Benedicti designare accipimus. Quid enim ille aliud est, quàm amplissima quædam ciuitas supra montem posita? Ciuitas, inquam, Domini virtutum, cælestis illius æmula, quæ meritò etiam illo nomine glorietur, Ezech: 48. *Dominus ibidem.* Vt enim S. Benedictus diuinæ præsentiæ considerationem discipulis suis, huius Ciuitatis ciuibus, non semel commendauit: ita etiam Dominus Ordinem hunc, ceu ciuitatem suam, semper protexit, & benedictione suâ repleuit. Hæc est Ciuitas, non vocanda *Derelicta*, aut *desolata*, sed iuxta Isaiæ, 62. vaticinium, nomine nouo,

quod os Domini nominauit, appellanda, *voluntas mea in eâ.* Nihil enim aliud in Benedictino Ordine docetur, quàm abnegatâ propriâ voluntate per veram obedientiam probare, quæ sit *voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta,* Rom 3. adeò, vt tota ciuium nostrorum vita sit *in voluntate eius.* Fluuium autem aquæ vitæ, cuius impetus vniuersam hanc ciuitatem DEI lætificat, quid aliud esse dicemus, quàm S. P. N. Benedicti Regulam, quæ non immeritò *aqua vitæ* vocatur, quia ad veram & perpetuam vitam properanti facem præfert, viam commonstrat, & ad vitam æternam introducit. Est hic fluuius splendidus, tanquam crystallum, quia præ cæteris aliorum legislatorum regulis, Regula S. Benedicti dilucida est, & vt S. ANTONINVS Antistes Florentinus p. 2. tit: 15 c. 12. §. 2. dixit, *singula quæque clarè describit:* cuius verba refero, cum eximiè S. P. N. Regulam commendent. ait itaque loco citato. *Sicut Basilius dicitur Pater Monachorum in Oriente, ita etiam Beatissimus BENEDICTVS Pater Monachorum in Occidente. Ipse enim, vt ait Gregorius, scripsit Regulam discretione præcipuam, sermone luculentam, & præ cæteris (vt ita dicam) in singulis directiuam. Nam Regula Basilij satis intricata est. Regula Augustini multum generalis, & ad particularia parum descendens: sed per Constitutiones ei additas à diuersis Religionis eius professoribus, austeritatibus & cærimonijs adornata. Regula S. FRANCISCI breuis, & propterea multa ibi præcepta scrupulis plena: Sed Regula Sanctissimi BENEDICTI SINGVLA QVÆQVÆ CLARE DESCRIBIT.* Hæc S. ANTONINVS Ordinis Prædicatorum decus. Procedit autem *fluuius* iste *aqua vitæ,* scilicet Regula S. P. N. Benedicti, *de sede Dei & Agni,* quia Spiritu sancto docente & ostendente, scripta est; & Vt Sanctissima Virgo MARIA, apud S. Birgittam lib. 3. Reuelat: cap: 20. ait, *Composita est de spiritu Dei.* Spiritus autem Sanctus, huius Regulæ dictator, procedit à Patre & Filio, non secus ac fluuius hic, à throno Dei & Agni emanare dicitur, quæ est interpretatio nostri Ruperti. De cuius Regulæ exuberantissimæ perfectionis gratiâ, Cardinalis Turecremata iure affirmari posse, ait, illud Ecclesiastici, 39. *Benedictio illius quasi fluuius inundauit.*

Sed quænam sunt hæc signa (ita enim pluralis numerus per singu-

singularem intelligendus est) ex vtraque parte fluminis posita, afferentia *fructus duodecim*, nisi magna illa Ecclesiæ lumina, Ordinis nostri Proceres atque senatores, quorum aliqui inter herbas germinauerunt *quasi salices iuxta præterfluentes aquas.* Isaiæ 44. Alij, vt palma floruerunt, & sicut cedrus Libani multiplicati, fructum dederunt in tempore suo; vt de sanctissimo Parente nostro illud Ecclesiastici 50. vsurpare liceat: *Quasi Oliua pullulans, & Cypressus in altitudinem se extollens; & circa illum corona fratrum: quasi plantatio Cedri in monte Libano, sic circa illum steterunt, quasi rami palmæ, & omnes filij eius in gloriâ.* At vnde arboribus his varijs fructibus grauidis tanta vbertas, nisi ab irrigatione præterlabentis fluminis? Ab ipsa, inquam, Regulâ, quæ totius Religionis nostræ fons & scaturigo est? A quâ omnis vtilitas in ipsos Religiosos, & per eos in totam Ecclesiam dimanauit.

Vt igitur admirabiles hos *Fructus* duodenario numero comprehensos, vno veluti fasce colligatos, lectorum oculis objiciamus; fuit sacratissima Sancti BENEDICTI Religio.

1. Jn vniuersalis Ecclesiæ gubernatione admirabilis.
2. Jn particularium Ecclesiarũ & Diœcesiũ regimine solicita.
3. Jn Gentilium conuersione infatigabilis.
4. Jn hæresium oppugnatione & extirpatione inuicta
5. Jn Schismaticorum ad Ecclesiam reductione pacifica.
6. Jn Scholarum & Academiarum erectione vtilis.
7. Jn Sacræ scripturæ Jnterpretatione assidua.
8. Jn iuris Canonici collectione fidelis.
9. Jn Historiarum & veterum monumentorum conseruatione incorrupta.
10. Jn Deiparæ Virginis cultûs propagatione pia.
11. Jn Cærimoniarum ac Rituum Sanctissimæ Missæ Sacrificij, & Diuini Officij, ac Festorum institutione deuota.
12. Jn vtilium rerum adinuentione, ac disciplinarum illustratione ingeniosa.

Hæc omnia igitur magnalia Sacrosanctæ Ecclesiæ decora, & Reipublicæ Christianæ ornamenta, Orbi dedit Sancti BENEDICTI Religio. Sed *Fructus* hos singillatim aliquousque, in gratiam monasticem professorum, fautorumque eorundem, & ad

retundendas petulantes voces carpentium famam monachorum, eosque nil boni Orbi præstare, sed fruges inutiliter consumere vociferantium, delibabimus.

ORDINIS BENEDICTINI PRIMVS FRVCTVS.

Ecclesiæ vniuersalis gubernatio.



Rdinis nostri emolumenta ab eâ dignitate ordimur, quæ parem in terris non habet, vnique Deo tantum inferior est, Pontificiâ, inquam, quæ Vniuersalis Ecclesiæ molem humeris suis sustinet; ad quam ex nostro Ordine plures assumpti fuerunt, qui magnâ sapientiæ & sanctitatis laude, Petri nauiculam direxerunt. Quorum nomina, si non omnium, (quos Caietanus Abbas, centumtriginta & vnum, grandi sanè numero, septingentis propè annis, ex Ordine Benedictino monachos, Petri Cathedram insedisse affirmat) eorum saltem de quorum Benedictino Monachatu constat, & locus professionis scitur, vt obiter attingamus: sciendum inprimis cuique insinuamus, ante natalem annum Sanctissimi Legislatoris Nostri Benedicti, fuisse in Occidente plurima monasteria, monachosque diuersos, diuersis Regulis, suoque nonnullos ductu & arbitrio viuentes, qui Hiberniam, Scotiam, Galliam, Italiam, inprimis verò Orbis nostri caput, Romam, incoluerunt. Istorum omnium Reformator Institutorque, publicis Ecclesiæ tabulis Benedictvs appellari ac celebrari meruit; *multorum millium* (verba sunt Sancti Fausti in vita Sancti Mauri Abbatis) *perfectorum monachorum, in viuis etiamnū agens, pater effectus;* cuius ob admirabilem vitæ sanctitatem, & stupendam prodigiorum multitudinem ac magnitudinem, cum toto orbe fama percrebresceret, Romam latere non potuit, ad quam à diuersis Pontificibus euocatus, plurima, eorundem operâ, cum noua instituens, tum vetera monasteria reformans, Hormisdâ Papâ Lâ,

pâ, Lâteranensi Archisterio septennium præsedit, ab eodem Sanctissimo Pontifice summâ in veneratione habitus, cuius & Felicis, necnon Bonifacij II. temporibus, tantis incrementis, Magni Patriarchæ nostri institutum inualuit, *vt Romæ tunc*, verba Raulini celeberrimi Parisiensium Doctoris sunt, *vigente cælestis patriæ desiderio, omnes Ecclesiæ Titulatæ, atque Collegiatæ, Monachales factæ sint.* E quibus, ingens deinceps Romanorum Pontificum copia, è Lateranensi maximè cohors tota, summo cum vniuersæ Ecclesiæ emolumento prodijt, qui diuersissimis sæculis, grauissimis ijsdemque æternis meritis, & vrbem & Orbem, sibi, sanctissimoque Ordini obstrinxerunt.

S. SILVERIVS PAPA ET MONACHVS.

PRimus ex eorum numero (*Andreâ Bambergensi teste*) fuit Sanctus SILVERIVS, Sancti Hormisdæ (de quo paulo ante superius) ex legitimo matrimonio ante Pontificatum filius, superstite etiamnum Sanctissimo Archiduce Nostro, ad illud supremi in terris honoris fastigium euectus, dignus vtroq; Patre filius, ab illone huic primum, pro singulari affectione atque oblatione commendatus, an motu proprio, incertum, tanti Patris factus, æternum Ordini, Vrbi, Orbi, & Romano cumprimis Imperio ac nomini decus conciliauit, quando egregia vitæ Sanctitate, & Martyrij inprimis suprema gloria tantæ dignitatis functionem exornauit. Cum enim Anthimum Episcopum Hæreticum, ab Agapito antecessore depositum, restituere nollet, agente impiâ Theodorâ Augustâ, à Belisario in exilium pulsus est, ad insulam Pontiam; sed reclamantibus totius Orbis Episcopis, & ipso iubente Imperatore restituendus cum in reditu ad insulam Palmariam deduceretur, à duobus Vigilij ministris detentus, ibidem ærumnis, & inedia confectus, in custodia decessit, DEO Vicarij sui iniurias grauiter vlciscente, Belisariumq; è summo fortunæ fastigio ad incitas redigente, sed & Hunnis quamprimum Europam vniuersam vastantibus, quibus inuictissimus antea Imperator Iustinianus, tributum pendere coactus

ctus est. Silverius autem noster, Sanctorum albo adscriptus, Martyris Pontificis titulo, toto Orbe celebratur. *Ita Gabriel Bucelinus in Aquil: Benedict:* & nos ex eo.

S. BENEDICTVS PRIMVS.

Sanctus Benedictvs eo nomine Primus, Augustissimum & verè Benedictvm Sanctissimi Patris sui nomen benè retulit, primumque ad Pontificiæ summæ Maiestatis soliũ euexit, à multis deinceps eadem appellatione successoribus repetitum. Meruit cum de Ecclesia Vniuersa plurimum, tum de Principe Imperij Prouincia Italia, & capite præcipue eiusdem Roma, afflictissimis temporibus prodigâ in omnes, pauperes maximè, pietate, enixissimis precibus, Tiberium cui charissimus erat, Imperatorem, euincens, vt frumento ingentibus impensis atque labore ex Ægypto comportato, periturum fame regnum, aleret atque seruaret.

Fuit & illud ingens Benedicti Nostri meritum, multis mortalium millibus, amplissimisque Prouincijs ab interitu reuocatis, cum Ariana eousque hæresi latè dominante, & nouis incrementis adolescente, Vigilantissimus Pontifex, alios periculo, plurimos peste eâ iam infectos liberaret. Decessit Vir Sanctissimus. A. C. 579. ab ipsis etiam Græcis licet Romanus patria, plurimum laudatus, *qui Cæsari charum, acceptum Deo, gratumq; omnibus ciuibus suis, celebrârunt. Ita Bucelinus l. c. Cuius etiam meminit Wion Lig: Vit:*

S. PELAGIVS SECVNDVS.

Sanctus Pelagivs II. Romanus patria, & monachatu proximus Benedicto successit, & multo nomine de Orbe meritus, ab eo inprimis, quod maximum Ecclesiæ Doctorem Sanctum Gregorivm nostrum Cænobio extraxerit, grauissimisque Orbis negotijs adhibuerit, commendatus est.

Schi-

Schismaticis insuper trium Capitulorum illusoribus profligatis, felicissimus & summa Cathedra dignissima vitæ sanctitate, exornata laudatissimus, sancto fine viuis excessit. A. C. 590. *Wion: Bucelin: &c.*

S. GREGORIVS MAGNVS.

SAnctus GREGORIVS I. cognomento Magnus, duplici nomine sanguinis nimirum iure proximo, & adoptionis siue professionis, Sanctissimi Patriarchæ Nostri proximus, ab eodem matri Siluiæ Octauiæ, cum ad Sanctissimum Cognatum inuiseret, maternis etiamnum clausus visceribus, quantus futurus erat prænuntiatus fuit. Ex Monacho & Abbate S. Andreæ in Vrbe, S. R. E. Cardinalis electus, grauissimis statim meritis, de Ecclesia meruit, Constantinopolimq; ad Tiberium Cæsarem Legatus, Eutichium Patriarcham Hæreticum, ita conuicit, vt eius librum Imperator in ignem inijceret, & Eutichius paulo post morbo confectus resipisceret, suumq; ipse errorem damnaret.

Summo omnium consensu Pontifex salutatus, cum vrbe profugeret, columnæ igneæ prodigioso indicio proditus, & retractus, non Imperij solum vtriusq; Prouincijs, sed barbaris etiam extremi Orbis Regnis, mirè profuit. Et primo quidem Pontificatus anno, de ipso Romani Imperij capite Româ meritissimus, pestilentissimam ab vrbe luem prodigiosè auertit, cum Litanijs, æterno vniuersi bono, primùm compositis atq; institutis, & deportata solemni vt vocant in processione Dei parentis imagine, adeò superos flexit, vt percutiens Angelus spectabili formâ visus, iussus sit enlem vaginâ recondere, cælestibus genijs, admiranda musica, iucundissimam illam Antiphonam, REGINA CÆLI primùm occinentibus, Gregorioq; cum vniuerso populo in genua prouoluto, & supremum imponente versum *Ora pro nobis* DEVM. & cæleste illud canticum in Ecclesiam statim vniuersam introducente. Proximum, de propiore Imperij Regno, Italia meritum fuit, quam comparato vndiq; frumento, eleemosynis

mosynis quasi infinitis in pauperes distributis (quos inter, sola in vrbe tria Monialium millia aluit) extrema fame, Italiam liberauit. Tum ad reliquas totius Imperij Orbisq; conuersus Prouincias, Schismaticos Ecclesiæ Romanæ conciliauit; Episcopis per omnes vniuersi angulos, incredibili penè cura ac vigilantia intendit, & nequid offendiculi ex negligentia eorum grex Christianus pateretur diligentissimè cauit. Rursum nouo merito Africam demeruit, in qua Donatistas, & Schismaticos mira dexteritate oppressit. Jn Hibernia etiam exerrantes populos ad sinum S. Matris Ecclesiæ collegit. Tum Ioannem Rauennatem Episcopum, ac dein Dalmatiæ Pontifices correxit. Mox ad Hæreses profligandas conuersus, ingenti passim fructu, in Sicilia inprimis laborauit; ex qua Manichæos expulit; Barbaricinos autem gentiles, necnon Iudæos mira arte ac charitate, ad sacra Christiana pellexit.

Postea Ioannis Constantinopolitani Patriarchæ audaciam, *vniuersalis Ecclesiæ Episcopi* nomen sibi arrogantis, felicissimè fregit. Tum Hispaniæ Regnis consuluit; Vrbis templa, aliaq; passim à Gothis vastata restituit atq; exornauit. Missis in Angliam Augustino nostro, & socijs, Edilbertum Regem cum omni familia conuertit, Ecclesias construxit, & per Regnum vniuersum Episcopatus & Scholas publicas instituit. Agilulphum Longobardorum Regem, vrbi atq; Italiæ imminentem auertit. Schismaticos in partibus Istriæ ad vnitatem reduxit. Et quamuis lecto, ob afflictissimam valetudinem perpetuo ferè decumbere cogeretur, vniuersum tamen terrarum Orbem litteris veluti Aquila pennis, circumuolando lustrauit. Gallias Simoniacâ labe purgauit; Germanias missis eò discipulis iuuit. Concilia quibus Ecclesiæ vtilius, esse & excogitari nil potest, diuersis passim Regnis in Hispania, Africa, Numidia, &c. coegit, & lectissimæ Sanctitatis Viros, ijsdem suo nomine præesse voluit. Arianos dein in Hispania, Agnoitas Alexandriæ &c. validissimis auctoritatibus & importunis Legationibus compressit. Campaniæ rusticos à paganizandi ritu auertit. Ligures, Venetos, Hiberos, à Schismate vindicauit; Romanum denique Imperium à grauissimâ bellorum clade, pace inter Imperatorem, & Agilulphum

Regem

Regem composita, eripuit; Agilulpho ipso ab Arianismo ad Romanæ Ecclesiæ gremium aggregato. Liceat & merita quibus vniuersa etiamnum gaudet posteritas paucis enumerare.

Debent Ecclesia, & sæcula deinceps Vniuersa, Gregorio *Ordinationem Breuiarij*, vt vocamus, *Romani*, & omne ferè officium Ecclesiasticum, stylo elegantiore & compendiosiore renouatum, & compositum. Debent præterea *Missæ Sacrificium* ita auctum, atq; ordinatum, vt alter eius quasi Auctor habeatur. Debent eidem *Antiphonarium* ab ipso compositum & tot sæculis, tanta cum fidelium recreatione & fructu decantatum. Debent eidem Officia festorum plurium, Circumcisionis, Commemorationis S. Pauli, & plerorumq; SanctorumRomanorum Pontificum, Dedicationis Ecclesiæ atque aliorum, summo ipsorum etiam Cælitum applausu, tanto temporum decursu, ab vniuersis fidelibus, tam vtiliter, tamq; religiosè celebratorum. Vt de Orationibus Ecclesiæ plerisq;, Hymnis atq; alijs ab eodē compositis nihil dicam.

Debetur eidem insuper solemnis Institutio Ieiunij Aduentus Dominici, diei Cinerum, Lotionis pedum die Iouis Sancto, Rogationum, Stationum, siue Indulgentiarum, &c. Vt nemo vnquam meritorum Gregorij nostri multitudinem numerare, magnitudinem æstimare valeat, & commendare. Quem proin haud immerito Angliæ Rex Edilbertus: IMMENSVM THESAVRVM, qui generis humani maximam partem cælo lucrifecerit appellarit. Reliquit ingenij pulcherrima & æterna monimenta, quæ dum moliretur, Spiritus Sanctus candidissimæ columbæ specie in aurem ipsi dictare visus est; fuit enim, vti de viuente etiamnum asseruit, Magnus Isidorus noster Hispalensium Pontifex: *Organum SPIRITVS SANCTI, per cuius gratiam tantum scientiæ lumine præditus euasit vt non præsentium modo temporum, quisquam Doctorum, sed nec in præteritis ipsi par fuerit vnquam.* Et Sanctus Ildephonsus noster: *Nihil ei simile antiquitatem demonstrasse, nam Sanctitate vicit Antonium, eloquentiâ Cyprianum, Augustinum sapientiâ, & alijs virtutibus excelluit, &c.*

Quem proin haud immeritò Synodus Toletana VIII. cunctis Ecclesiæ Doctoribus censuit præferendum. Qui denique miraculorum gloria Illustrissimus, Pontificatus anno 13. Mense 6.

 die 10.

die 10 ad præmia æterna euocatus, ab ipsis etiam Græcis ob immortalia merita, solemni quotannis memoriâ celebratur.

S. BONIFACIVS IV. PAPA.

BONIFACIVS IV. Ioannis Medici Filius, Valeriensis Marsus, ex Monacho S. Sebastiani in Vrbe Congregationis primæ BENEDICTINÆ, & S. R E. Cardinale ad summum Pontificij supremi culmen euectus, de Ecclesia vniuersa præcipuè meruit, Concilijs inprimis pluribus summâ cum Orbis Christiani vtilitate celebratis, & adhibitis ad curam Ecclesiarum perfectissimis quibusq; & excoctissimis in Cænobio monachis, quorum industria primæuus fidei zelus ac feruor in fidelibus resuscitatus, iucundissimo cælitibus spectaculo mire exarsit. Promouit idem BONIFACIVS pro eximio suo in Augustissimam DEI Matrem studio, eiusdem in terris cultum, & celeberrimum illud DEORVM omnium templum vulgo *Pantheon* vocatum, eiectis inde profanis statuis, vniuersisq; stultæ gentilitatis reliquijs, insigni celebritate DEIPARÆ honori nuncupans, *S. Mariæ ad Martyres* appellauit, ad quod ipsâ Dedicationis die, viginti & octo onustis curribus, plurima Sanctorum Martyrum corpora transtulit, 13. Martij A. C. 610. tanto deinceps ad anniuersariam Dedicationis memoriam concursu populorum facto, vt postea S. Gregorius noster, eo nomine IV. Dedicationis memoriam ad Kal: Nouemb: quibus maior frugum copia in Vrbe esset, transferre coactus sit, cum ob peregrinorum copiam ingens alias fames vrbem flagellaret. Obijt Pontifex meritissimus A. C. 613. ob eximiam vitæ sanctitatem inter Diuos relatus. *Agit de hoc Pontif: Wion: Bucelin: &c.*

BONIFACIVS V. PAPA.

BONIFACIVS V. ex monacho eiusdem Congregationis Pontifex Maximus, pari Sanctitate Cathedram Principis Apostolorum exornauit, aliaq; inter præstantissima merita, honori seruorum CHRISTI monachorum Clericorumq;

dili-

diligentissimè consuluit, & quod maximi referre putaret, si pastores suos fideles susciperent, pronos autem ad Hæresim, qui minus Clerum æstimarent, eosdem maximis prærogatiuis ornatos eminere voluit, maximasq́; immunitates Ecclesijs concessit, ita vt ad eas confugientes extrahi nequirent. Mandauit idem, vt quouis loco Sacrilegi Anathematis fulmine ferirentur. Propagandæ fidei, multa industria institit, & Apostolico zelo, per legatos dignissimos, gentiles ad gremium S. Matris Ecclesiæ inuitauit. Quibus alijsq́; præclarè gestis, spectatissimus, postquam ordinationes duas Mense Decembri fecisset, sancto fine decessit. A. C. 622.

SANCTVS ADEODATVS.

SAnctus ADEODATVS, natione Italus, Iouiani filius, patria Romanus, ex Monacho S. Erasmi in monte Cælio Ordinis Nostri, Pontifex Maximus, Heraclio Imperante electus, admirabili vitæ sanctitate vniuersæ Ecclesiæ, & Pontificij honoris Cathedræ, decus æternum addidit; cuius tanti viri res gestas perijsse, haud immerito diligentissimus Historiæ Ecclesiasticæ scriptor Baronius lamentatur. Cæterum Vniuersis gratissimum extitisse, Anastasius commemorat, & *in tanta*, inquit, *magnitudine fuit mitissimus ac benignissimus, vt omnem hominem à maiore vsque ad minimum, libenter susciperet. Peregrinis compassionem exhibuit, vt etiam vnusquisque, quod postulauit sine dubio impetraret. &c.* Mortuus & cælo receptus est, A. C. 676. cuius mortem elementa lugere visa sunt, exortis, qualia nulla hominum ætas meminisset, pluuijs & tempestate. *Wion: Bucelin: &c.*

S. AGATHO PONTIFEX MAXIMVS.

SAnctus AGATHO Pannonij Amonis filius, Aprutinus, ex monacho S. Hermetis Panhormi, Congregationis Siculæ, Pontifex Maximus, primo statim Pontificatus anno, de Ecclesia vniuersa, Pontificia inprimis Sede, supra maxima quo-

quorumuis merita præclarissimè meruit, quando datis ad Imperatorem litteris, pessimam illam consuetudinem sustulit, quæ pro confirmatione Romani Pontificis, Imperatori Constantinopolitano, summa pecuniaria soluebatur. Tantâ ab indignitate vindicati, æternum AGATHONI nostro debent Romani omnes Pontifices, longè pluribus nominibus eidem aliàs plurimum obligati.

Jllo orbem terrarum vniuersum sibi obstrictissimum reddidit, cum diuersissimis toto Occidente Concilijs, in Anglia, Gallia, Jtalia, Hispania congregatis, ad pestilentissimam Monothelitarum Hæresim proscribendam tantopere incubuit, contra quam denique Sextam Generalem Synodum Constantinopolitanam III. solemnissimè indixit, tantamque pestem felicissimè profligauit. Cuius tantæ rei insignis memoria depicta, atque his ipsis verbis inscripta visitur in Bibliotheca Vaticana, quinto interfenestrio ad dextram.

SANCTO AGATHONE PAPA, CONSTANTINO POGONATO IMP. MONOTHELITAE HÆRETICI VNAM TANTVM IN CHRISTO VOLVNTATEM DOCENTES EXPLODVNTVR.

Vt amplius ad commendationem Agathonis nostri excogitari non posse videatur is quam eius meritis deberi CONCILIVM GENERALE SEXTVM, ad Nicænum, Ephesinum, Chalcedonense, & Constantinopolitana duo adiectum; quibus *summa FIDEI CHRISTIANÆ FVNDATA EST.* Vt de alijs eius meritis nihil dicamus, viris, maximè, Apostolicis ad conuersionem gentium destinatis, quos inter Magnus ille Wilfridus noster, de Germania meritissimus, in Frisiorum inprimis conuersione strenuè desudans, multa eorum millia ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ congregauit. Exuit mortalitatem Sanctissimus Pontifex noster AGATHO. A. C. 682. ob egregiam vitæ Sanctitatem inter Diuos relatus, & miraculorum gloria à Numine illustratus, cuius illud inprimis viuentis celebratur, cum occurrentem sibi leprosum verè Apostolico ac paterno affectu exosculatus, solo eo attactu, prodigiosè curauit & incolumem dimisit. *Trith: Wion: Bucelin:*

S. LEO

S. LEO II. PAPA.

SAnctus LEO II. natione Siculus Mylensis, Congregationis nostræ Siculæ Sanctissimus Monachus, humanis & Diuinis litteris, Græcè & Latinè doctus, Musicis etiam eruditus fuit, quo nomine æternum de Ecclesia meruit, Hymnosque & Psalmos, ad concentum & modos meliores reduxit. Idem acta sextæ synodi Constantinopolitanæ comprobauit, & in Latinum transtulit, Superbiam præterea Antistitum Rauennatum fregit, qui Exarchorum freti potentia, Sedi Apostolicæ obedire, detrectabant. Idem, ne ad Archiepiscopatum assumptus, pro vsu Pallij aliorumq; officiorum, quidquam Ecclesiæ persolueret, sanctè & præclarè instituit, grandique & ea perpetuo ab Hæreticis aspersa, auaritiæ nota, Curiam Romanam liberauit, & scandalum orbis longe maximum, sustulit. Ipse etiam, vt in celebratione PAX populo daretur, sanxit; multaque alia, breui Pontificatu præclarissimè gessit, ita quidem, vt ob eorundem multitudinem atque præstantiam, longè quàm præfuerat diutius, Ecclesiæ vniuersæ præstitisse videatur. Paupertatis Monachicæ summo in honore nunquam oblitus, vt contemptor opum præcipuus fuit, sic liberalissimè easdem distribuens, verus pauperum pater extitit, neque pecunia solum, sed opera, labore, & consilijs, egentium, viduarum, & pupillorum inopiam ac solitudinem subleuauit. Eius mortem adeò luxerunt vniuersi, vt communibus lacrymis, communem omnium parentem mortuum, effusissimè testarentur, cuius festiuam memoriam semiduplicis vt vocamus, officio, pro tanti viri meritis Ecclesia Vniuersa, quarto Kalendas Iulij, concelebrat. *Bucelinus.*

S. BENEDICTVS II. PAPA.

SAnctus BENEDICTVS II. Romæ, ab infantiâ, Monasticæ vitæ consecratus, doctrina & Exercitatione rerum Diuinarum in tantum excelluit, *vt obinde ADMIRABILIS & singularis ab omnibus haberetur.* Pontifex creatus multis mo-

dis

dis Ecclesiæ vniuersæ consuluit, quem pro eximia vitæ sanctitate Constantinus Imperator plurimùm suspexit & deuotissimè coluit, memorabili deuotionis exemplo, capillos filiorum Iustiniani & Heraclij Cæsarum, ad eundem dirigens, quo, solemne veteribus erat adoptionem consignare, cum per capillorum exhibitionem, quis alicui in filium offerretur, & qui eos accepisset, Patris nomen consequeretur. Potuit plurimum apud eundem Imperatorem BENEDICTVS noster, & grandi atque æterno merito, sicut S. AGATHO, de quo supra, pecuniariam summam, ab Electo Rom: Pont: Imperatori pendendam sustulit, sic & ipse ne deinceps in Electione Pontificis, Imperatoris assensus expectaretur impetrauit, pristinamque libertatem Ecclesiæ recuperauit. Mortuus est altero statim Pontificatus anno tantus Pontifex, *cuius eminens virtus*, inquit Hieron: Platus, *ostensa est potius Ecclesiæ, quam data, sublatus cum omnium dolore ac lacrymis* A. C. 685. *Wionus Bucelinus &c.*

S. SERGIVS I. PONTIFEX MAXIMVS.

SAnctus SERGIVS Primus, Panhormitanus Monachus, vir doctissimus æquè ac Sanctissimus, Diuino Spiritu Clerum populumque permouente, Summus Orbis Pastor electus, prima statim inaugurationis die, mire de Schismaticis triumphauit, grandique peste Romam, & Orbem vniuersum liberauit, cum Theodorus, vno consensu Cleri ac populi permotus, tantique Pontificis reuerentia captus, ipsum illico Papam salutaret, & adoraret; sed & Paschalis, inuocato Exarchi auxilio nihil prorsus efficeret, imò Exarchus cum exercitu SERGIVM deturbaturus adueniens, repentè mutatus, & ipse Pastorem agnosceret, & coleret. Neque minus ad commendationem SERGII nostri, quod tanta constantia sancitis Pseudo Concilij Constantinopolitani se opposuit, ipsique Imperatori id primum enixè petenti, dein extorquere paranti, adeò imperterritus obstitit, vt prius mortem oppetere, quam de auctoritate Pontificia, & iure Ecclesiæ cedere statueret. Cuius æterna admiratione dignissima, in atrocissimum hostem pietas, paulo post enituit,

rum) Galliarum Regis filium, Caroloburgi in Bauaria natum, Ingelheimij à Paulo Diacono educatum, Vuormatiæ in Regni primâ ſede collocatũ, inde à S. Stephano Noſtro, Patris in Regno Galliarum ſucceſſorem declaratum & conſecratum, Principem præclariſsimè geſtis, eruditione, pietate, magnanimitate incomparabilem, *Primum*, reſtituto Occidenti Imperio, eiuſdem *Imperatorem*, ipſis Natalitijs Chriſti Ferijs, incredibili populorum omnium applauſu, A. C. 800. renunciauit, ac conſecrauit, eiuſque ſimiliter Filium, Regno Italiæ donatum, ea ipſa die ſolemniter inunxit, acclamante tertium populo vniuerſo: *Carolo Augusto a Deo Coronato, Magno, & pijſſimo Imperatori Romanorum, Vita & Victoria.* Vt Leoni noſtro Germania vniuerſa, quin & Gallia, Occidens vniuerſus atque Reſpublica Chriſtiana toto Orbe diffuſa, debito inæſtimabili atq; æterno longè obſtrictiſsima, primum ac principem ſuæ gloriæ ac felicitatis auctorem, nulla ſatis grati animi ſignificatione, tantique deprædicatione meriti, queant venerari.

Comprobauit dignum tanti honoris Maieſtate ſeſe Carolus noſter, & Leonem omni Aquilâ perſpicatiorem, præſago mentis intuitu, abſque comparatione omni, aptiſsimum tanto muneri Principem deſtinaſſe, factis oſtendit; ob ea, non Occidenti ſolum mirandus, ſed & Orienti metuendus, vt collata tanti tamque ſancti Pontificis auctoritate Carolo poteſtas, velut ſolidiſsima in petra conſolidata, ſtupentibus inſolentia facti Orientis Cæſaribus, inconuulſa in hanc vſque diem feliciſsimè ſubſiſteret. Tantum de Orbe Chriſtiano meritus Leo noſter, & maximis gerendis rebus Numinis voluntate deſtinatus, ſuſcepti Pontificatus thronum, generoſiſſimo ſuo ſanguine conſecrauit. Agente ſiquidem inuidentiæ genio, tanti ab omnibus æſtimatum, tam ſanctum Pontificem, implacabili proſecuti odio Paſchalis primicerius, & Campulus ſacellarius, adſcitis in ſocietatem ſceleris proſcriptæ audaciæ nonnullis, eò denique amentiæ prouecti ſunt, vt ſacrilegis in Leonem iniectis manibus, in terrâ deiecto & fædè conciſo, oculos eruerent, & linguam radicitus præſcinderent, idque in ipſa ſacri muneris functione, inter expiatum per litanias ritu ſolemni populum. Sed & ſacrilegia ſacrilegijs cumulan-

lantes, Sanctissimo Pontifice rursus in Ecclesia ante altare iuxta Confessionem tracto, tantum repetiuerunt flagitium, & semiuiuum ante altare suo reuolutum in sanguine, dimisere. Veriti autem, ne à fidelibus inde eriperetur, abstractum in Monasterio S. Erasmi in arctâ custodiâ recluserunt. Stupenda res? Restitutus prodigiosissimè Ecclesiæ gementi atque afflictæ sanus & incolumis, eadem nocte grandi prodigio oculos ac linguam recepit, ereptusque è custodia, & in Gallias ductus, honorificentissimè à Carolo Magno exceptus, & digno comitatu pompaque reductus in vrbem, mansuetudine supra miraculum omne excelluit, dum, ne supplicio capitis aut mutilatione quauis in nocentissimos reos, parricidas tantos animaduerteret Carolus, intercessit & impetrauit.

Nec plura de LEONE, cæteroqui de vniuerso terrarum orbe, pluribus maximè Concilijs celebratis, & præclarè sancitis, meritissimo. qui post tot orbi præstita beneficia, & labores in curandâ salute populorum exhaustos, diues meritis, & patientia singulari eximius, quieuit in pace Pontifex generosissimus, A. C. 816. pro tantis sanctissimæ vitæ meritis inter Diuos relatus.

S. STEPHANVS V. PAPA.

SAnctus STEPHANVS V. Iulij Marrini filius nobili genere natus, professione monachus, ex Monasterio ad summos Ecclesiæ labores extractus, & si paucis mensibus præfuerit, æternum tamen Pontificiæ Cathedræ decus, eximia vitæ sanctitate reliquit, ab ipsa statim consecratione, illustribus adeo miraculis honoratus. Decessit A. C. 817. Pontificatus mense septimo.

S PASCHALIS I. PAPA.

SAnctus PASCHALIS I. Maximi Bonosi filius, Romanus, ex Monacho Sancti STEPHANI, iuxta Sanctum Petrum Romæ, Congregationis primæ BENEDICTINÆ, & S. R. E. Presbytero Cardinale, vniuersalis Ecclesiæ Pastor creatus, Occiden-

cidentem non solum, sed & Orientem grauissimis meritis obstrinxit, quæ digna oratione sanctissimus vir & Encomiastes dignissimus, *Theodorus Studita* summis laudibus celebrauit. Idem, eximiam denique ab omni sæcularium Magistratuum potestate Pontificis Romani electionem, æterno de successoribus beneficio & merito, impetrauit. Idem plenum Diui Petri Patrimonium, à Longobardis ereptũ, vt integre restitueretur effecit. Idem apparente sibi S. Cæcilia, corpus eiusdem solemniter eleuauit, & multa Sanctorum corpora transtulit. Idem stipendia Clericis auxit. Idem captiuos, in ipsis etiam transmarinis regionibus diligentissime perquisitos, viros & mulieres, sicut vere bonus Pastor redemit. Idem plurimas Ecclesias, Titulosque Cardinalium partim condidit de nouo, partim restaurauit. Idem de vniuerso terrarum Orbe meritissimus, Concilia plurima, Romanũ, Altinense, Aquisgranense, Arelatense, Turonense, Cabilonense, Moguntinense, Rhemense, Theodouillanum, Nouiomense, vnus celebrari fecit, eisdemque optimos Præsides dedit, plurima ingenti cum Imperij, tum Regnorum diuersorum vtilitate, decreuit, & instituit. Idem denique dignissimo sanctitatis titulo, summam in orbe potestatem ac dignitatem mirifice exornauit, & æternum posteris exemplum reliquit. Obijt Pontifex, lectissimus A. C. 824. cuius anniuersaria memoria Martyrologio Ecclesiæ Romanæ ad scripta, toto orbe legitur, & pro dignitate tanti viri recolitur.

S. VALENTINVS PAPA.

SAnctus VALENTINVS Leontij filius, Romanus, S. Paschalis lectissimus discipulus, Monasticis disciplinis ab ineunte ætate innutritus, tantæ virtutis, & sanctitatis fama celeber fuit, vt miro totius Cleri ac Senatus, populiq; consensu, cum vix vna die ab Eugenij obitu sedes vacasset, inuitissimus licet, Pontifex acclamatus sit. Qui cum vix quadraginta dies præfuisset, mærorene ab tanti oneris in humeros suos impositione, an alia ex causa, & inuidente terris tantum virum cælo

ipso, meritis hominum, qui tunc erant, ita exigentibus, immatura morte ablatus est, conquerentibus vniuersis, eum hominem sibi abreptum. *Quo stante, labefactari Romanam libertatem, & Christianam Religionem vix potuisse,* omnes persuasissimum habebant. Obijt 10. Cal: Febr: A. C. 828. vel quod alij habent A. C. 827.

S. GREGORIVS IV. PAPA.

SAnctus GREGORIVS IV. patria Romanus, genere clarus, ex monacho Fossæ Nouæ & S. R. E. Cardinale Tit: S. Marci, ad summi honoris apicem euectus, cum frustra Magni & primi Gregorij exemplo latebras quæreret, orbem moderari coactus est. Fuit Diuinis humanisque litteris apprime eruditus, pietateque, misericordia, atque alijs omnibus virtutibus adeò insignis, vt quartus eo nomine Pontifex, pari sanctitatis laude, illud ipsum nominatissimum redderet. Hic ipso Pontificatus sui initio, clades tam multas Italiæ à Saracenis illatas miseratus, eiusdem quibuscunque posset viribus muniendæ consilium suscepit, aliaque inter Ostia Tiberina communiens, rudera euderans, nouam è collapsa vrbem condidit, & muris cinxit, conatuque, minimè ambitioso, successoribus eadem audendi exemplo & incitamento, vt esset, à se Gregoriopolim cognominauit. Mox suam de Imperio vniuerso sollicitudinem testatus, feruentibus Principum odijs, & ad diuturnum bellum, imò Prouinciarum omnium interitum vergentibus vniuersis, ipse ad Ludouicum Imperatorem, & filios fœdissima dissensione distractos, periculosissimum iter suscepit, eosque inter se componere, tantùmque Imperij totque Regnorum malum auertere laborauit. Pari industria Galliæ & Germaniæ Episcopis consulens, datâ ad eosdem Epistolâ nunquam satis celebrandâ, grauissimas turbas, & ex his nascentia innumera mala anteuertit.

Neque terras solùm demereri satis habuit Gregorius noster, nisi & cælum ipsum eiusque felicissimos incolas omnes demereretur:

reretur: quo proin ſtudio tam digno, in capite Calendarum Nouembrium Feſtum SANCTORVM OMNIVM à fidelibus per totum mundum celebrari præcepit: officioque proprio, quod ipſe compoſuit, decorauit; vt quidquid humana fragilitas per ignorantiam vel negligentiam, in ſolemnitate ſingulorum ſanctorum, minus plenè ſeu dignè peregiſſet in hac ſancta obſeruatione ſolueretur. Suſpexit meritum hoc haud leuiter, paulo ante per Apoſtolos noſtros conuerſa Germania, ſolemnitatemq; tantam ſoluta Oratione & verſu Sanctus Rhabanus noſter celebrauit. Jllud, maxima inter Gregorij noſtri longe maximum, vnum, tanto cum fructu vniuerſo, tot Concilia celebraſſe, è quibus potiora, Pariſienſe A. C. 829. Compendienſe 833. Metenſe 835. Theodonis villæ 835. Aquisgranenſe, A. C. 836. & eodem anno Lugdunenſe, Cabilonenſe A. C. 839. Aquiſgranenſe alterum, anno 842. eodemque anno Conſtantinopolitanum, multaque alia à ſcriptoribus referuntur. Tantis celeber factis ad felicem immortalitatem conſcendit A. C. 847.

S. LEO IV. PAPA.

SAnctus LEO IV Rudolphi filius, Romanus, ex monacho ſanctorũ Silueſtri & Martini Congregationis primæ BENEDICTINÆ & S. R. E. Presbytero Cardinale Tit: SS. quatuor Coronatorum, ad generalem Chriſtiani gregis curam vocatus, haud minore Chriſtianæ Reipublicæ bono, ſuoque merito, plurima paſsim Concilia coegit, quam anteceſſor Sanctiſsimus eoque nomine meritiſsimus Gregorius IV. memorabili Regnorum fructu congregauerat. Ex ijs tria omnino Moguntiam indixit, & Germaniæ multis modis præclariſsime conſuluit, Pariſienſe item, Turonenſe, Regiaticinum, Ticinenſe, Sueſsionenſe, Romanum, Conſtantinopolitanum, Valentinum, Ticinenſe alterum conuocauit, ijſque ſalutaria quamplurima inſtituit, orbique introduxit vt ſolâ hâc, tanti tamen momenti, induſtriâ, ſuum æternitati nomen mirifice commendarit.

Illud rarius, quo vix adito Pontificatu, euidentiſſimo eximiæ

miæ ſanctitatis argumento, Principem Imperij, & orbis vrbem, grauiſſimo metu, & peſte liberauit; cum enim peſtilentiſſimi animalis aflatu, baſiliſci nimirum cuiuſdam veneno, infecta Roma, haud immerito contremiſceret, indictâ ſolemni ſupplicatione, verus paſtor Leo ad ſpecum animalis peſtiferi ſolus acceſſit, ſublatiſque in cælum manibus, orationis virtute beſtiam extinxit, tantamque grandi miraculo peſtem conſopiuit.

Nec impari prodigio fidelibus commendatus, pari felicitate incendium per ædes Saxonum ac Longobardorum Diui Petri Baſilicæ *imminens*, ſolo adhibito Crucis ſignaculo, furentium flammarum impetum illico diſſipauit atq; extinxit: vt facile conſtaret ciuibus, quanti patrem hunc ſuum facere deberent, cuius in vota adeò facilis DEVS ipſe, & paratus eſſet. Illud de Imperio beneficium haud vulgare fuit, quo Lothario, & Ludouico Regibus, ſuo & ſucceſſorum nomine promiſit, *ILLIBATA IMPERII IVRA, ET NVNC, ET IN ÆVVM CONSERVANDA &c.* cui illi viciſſim, liberam eligendi deinceps Rom: Pontificis facultatem, à ſe aliquamdiu denuo affectatam, ſed à Leone Romanis aſſertam, nulla deinceps libidine Cæſarum temerandam, ſanctè polliciti ſunt. vt hoc etiam nomine ſucceſſores ſibi plurimum Leo noſter obligarit. Ingens etiam illud fuit, quo grandi metu Italiam imò Europam vniuerſam liberauit: quando nimirum tribus coactis claſsibus, Neapolitana, Amalphitana, & Caietana in vrbis ſubſidium, nulla re magis, quam DIVINIS MYSTERIIS armatas, in ferociſſimos hoſtes, Mauros ſeu Saracenos immiſit; cuius tam piè adminiſtrati geſtique belli ille exitus fuit, vt ijdem non ſine Numine, admirabili atque inprimis memorabili victoriâ, ad oſtia Tiberina feliciſſimè vincerentur, inſigni miraculo, nauibus hoſtium diſsipatis atque confractis, captiuiſque plurimis Romam abductis, qui quam euertere decreuerant, in eiuſdem munitione, & Nouæ vrbis (qua S. Petri Baſilicam incluſerat Leo) molitione, Chriſtianis ſtructoribus collaborarent. Eam à ſe conditam *Leoninam* appellari, Sanctus vir voluit, pluresque alias per Italiam vrbes reſtaurauit, & ſtruxit, è quibus Centum cellenſe oppidum, *Leopolim* item cognominauit. Et plurimis alijs ſanctè & præclare geſtis

ad præ-

tificibus, quaſi cum nomine transfuſis ac perennantibus. *ita Bucelinus.*

S. GREGORIVS III. PAPA.

SAnctus GREGORIVS, eo nomine Tertius, in ipſo ſummo Orbis Pontificatu, Monachum nunquam exuit, quin & paupertatem Monachicam, vt in ipſo Cænobio ſanctè coluit, ampliſſimas autem opes, in ſolos Chriſti pauperes, orphanos, Viduas, & Eccleſias transfudit. Js non de Imperio ſolùm, ſed Orbe vniuerſo præclarè meruit, & plurimis coactis Concilijs, Hæreſes, & peſſimas quaſque conſuetudines per Regna diuerſa ſuſtulit.

Germaniam inprimis multis modis iuuit, cuius lectiſſimum Apoſtolum S. Bonifacium noſtrum, Sedis Apoſtolicæ Legatum conſtituit, eiuſq; conatus plurimum promouit, & Concilio Germanico præeſſe iuſſit. Jdem potentiſſimum Germaniæ Principem, Carolum Martellum Brabantiæ Ducem, primus *Chriſtianiſſimi* perilluſtri titulo ornauit, qui ab illo, & filijs ad thronum poſtea Regni Gallici ſubuectis, Regibus ijſdem, ad hanc vſq; diem perpetuus manſit. Jdem ſanctarum imaginum, & Reliquiarum cultum miro zelo propugnauit & aſſeruit, & DEIPARÆ cumprimis cui erat addictiſſimus, venerationem, & honorem commendauit. Denique de cælo ac hominibus benè meritus, neque vlla ex parte Gregorio II. minor, Primo virtute ac meritis proximus, collachrymantibus vniuerſis tanquam communi Patre orbatis, ſancto fine deceſſit, A. C. 741. pro eximia ſanctitate, & ipſe inter ſanctos adſcriptus.

S. ZACHARIAS PAPA.

SAnctus ZACHARIAS, ex abſolutiſſimæ perfectionis Monacho, abſolutiſſimus & verè Sanctiſſimus Pontifex, haud impari virtute ac gloria, quam prædeceſſor Gregorius, Pontificatum geſſit, *cui*, inquit Anaſtaſius, *tantam gratiam contulit*

tulit Omnipotens Dominus, vt etiam pro ſalute populi Rom: ſuam ponere ſalutem non dubitaret. Euicit, vix adito Pontificatu, Luitprandi Longobardorum Regis animum, adeò potenter, vt Sancti viri admonitionibus, quatuor quas iam occupauerat, ciuitates reddere promiſerit; quod cum differret, ipſum Interamne agentem conueniens Zacharias, non eas ſolum impetrauit, ſed & Sabinenſe S. Petri patrimonium, quod triginta anteannos ablatum fuerat, inſuper Narnienſe, Auximanum, Anconitanum, vt Principi Apoſtolorum redderet effecit; tantâ Regis in ipſum propenſione, vt captiuos etiam omnes diuerſarum prouinciarum ipſi donauerit: à quo etiam pacem, & quietem ac libertatem Jtaliæ æterno cum merito impetrauit. Dehinc ad alias etiam iuuandas prouincias conuerſus, Germaniæ multis modis adfuit, eamq; Diæceſium finibus diſtinxit, & Epiſcopatibus auxit atq; excoluit.

Pipinum dein Brabantiæ Ducem, ad culmen Regni Gallici euexit, eademq; opera, & Germanorum honori, & Galliæ vtilitati mire conſuluit De Cleri populiq; Chriſtiani diſciplina, & moribus multa præclarè ſanciuit. Baſilicas plures collabentes reſtaurauit, Bibliothecam Vaticanam, æternâ cum Ordinis gloriâ confecit, conſtruxit, atque inſtruxit, Sanctitate denique vitæ, Pontificiæ Cathedræ æternum decus addidit. Reliquit non pauca præclari ingenij monimenta, eaque inter S. P. N. BENEDICTI vitam Græco ſermone conſcripſit, eiuſq; Baſilicam Caſinenſem præſentibus Archiepiſcopis vndecim, Epiſcopis Sexaginta octo, Solemniſsimè dedicauit. Mortuus eſt A. C. 752.

STEPHANVS II. PONT: MAX:

STEPHANVS II ex Monacho item creatus Pontifex, vir animi maximi, ſpei ſummæ, oſtenſus Eccleſiæ potius quam conceſſus, pauciſſimis diebus præfuit, ante conſecrationem tantis fidelium votis præreptus; quem licet nullo alio merito, quàm quæ Orbis ſibi vniuerſus promiſerat, celebrari legamus, hoc nihilominus loco inſerendum duximus, quod plurimi ſcriptores ipſum omnino prætereant. *Jta Bucelinus, in tract: de Pont: ex Ord. Ben:*

S. STE-

S. STEPHANVS III. PAPA.

SAnctus STEPHANVS III. (*alijs secundus*) Constantini filius, Romanus, ex Monacho Archisterij nostri Casinatis, & S. R. E. Diacono Cardinale, ad oues Christi pascendas assumptus, præclarissimè gestis, Orbi vniuerso innotuit. Ea inter, propagandæ apud Germanos Fidei præcipuè intendit, qua in functione Princeps Germanorum Apostolus S. Bonifacius noster, profuso sanguine vitam impendit, & primum Stephani annum, tantæ purpuræ pretio, gloriosissimum reddidit. Sed & Sthephanus ipse, pro Ecclesiæ libertate, & communi populorum ac Regni Jtalici salute, nequicquam deprecantibus Clero ac populo, & pastori suo metuentibus, omne vitæ discrimen vltro adijt, & iuratissimum Ecclesiæ hostem, Aistulphum Longobardorum Regem vltro conuenit, apud quem cum nihil efficeret, ad solicitandam apud Pipinum opem, ipse in Gallias contendit, vbi grauissimo oppressus morbo, ab ipsis Apostolorum Principibus, ac S. Dionysio visitari, ac prodigiosè curari meruit. Jllic Pipini filios, Carolum & Carolomanum Reges inunxit, imperauitq; Gallis, ne quem deinceps Regem alium nisi eâ ex familiâ legerent. Pipini ope, vniuersum S. Petri patrimonium recepit, & Jtaliæ Regnum graui à seruitute vindicauit. Eundem Regem Casinum cum filijs deducens, ad Sanctissimi Patriarchæ nostri BENEDICTI tumulum supplices, magno Patri, plenâ feruoris oratione specialissime commendauit.

Concilio Romæ celebrato Orbi vniuerso prouidit, & rara inprimis sanctitate fidelium oculos perstringens, dignitati tantæ Sedis, decus dignissimum addidit, grauissimorumque meritorum manipulis locuples, collachrymante vrbe & Orbe ad supera abijt. A. C. 757.

S. STEPHANVS IV.

SAnctus STEPHANVS IV. (*alijs III.*) Olybrij Rosamirani filius, Syracusanus Siculus, ex monacho S. Chrysogoni Romæ, congregationis primæ BENEDICTINÆ, & S. R. E. Cardinale T. S. Cæciliæ, Cathedræ S. Petri impositus, & ipse

ipſe eandem mirabili ſanctitate impleuit. Obſtrinxit, noſtrorum more, grauiſsimis beneficijs vniuerſam Rempublicam Chriſtianâm, celeberrimo inprimis Romæ Concilio celebrato, in quo maximis cum Italiæ, tum Orbis totius malis occurrit, abrogatis ante omnia, Conſtantini Pſeudo Pontificis Comitijs, omnibuſq; eius Conciliabuli actis combuſtis; & ne qua deinceps eiuſmodi peſtis Romanam ſedem inuaderet, ſequuturis quoque ſæculis cauens, ſtatuit: ne quis in poſterum, niſi Diaconus aut Presbyter Cardinalis, ad Pontificatum aſſumeretur: vt omnia Conſtantini acta irritentur, præter Baptiſma & Chryſma; vt Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, cæterique ab eo conſecrati, iterum conſecrarentur. Seueriſsimâ item Cenſurâ in Pſeudo Pontificem eundem animaduerſum; ſic que Baronio teſte; *omnibus inuaſoribus Apoſtolicæ Sedis, occluſus eſt aditus, veluti alto interiecto pariete, quo profanum eſſet à Sacro diuiſum &c.* Deceſsit multis profligatis erroribus glorioſiſsimus Pontifex, & acerrimus Sacrarum Imaginum propugnator. A. C. 772. cum admirabili vigilantia & conſtantia inter impetuoſiſsimos temporum fluctus, nauem Chriſti annos tres, menſes quinque, feliciſsimè gubernaſſet.

S. LEO III. PAPA.

SAnctus LEO III. Azzupij filius, Romanus, ex Canonico, Ordinis noſtri Monachus, ex Monacho Presbyter Cardinalis Tit: S. Suſannæ ad duas domos, mortuo Adriano primo, ipſo obitûs die, vno & miro omnium conſenſu Pontifex ſalutatus, poſtridie ſummâ vniuerſorum gratulatione, acclamatione, applauſuque conſecratus eſt.

Et hic eſt meritiſsimus ille ſupra omnes, de Germania, Italia, Gallia, vniuerſo Occidente, omnique ad hanc vſque diem Imperatorum ſucceſsione ac poſteritate, Romanus Pontifex, qui frendentibus vſque hodie ſuper tanta auctoritate poteſtateque Petri ſucceſſoris inferis, iuſtiſsimis ex cauſis, Imperium ab Oriente in Occidentem tranſtulit, & immortali cum Germanorum gloria, Germanum genere atque origine, ſed & educatione Principem, Carolum Pipini Brabantiæ Ducis, poſtea (operâ item noſtro-

ad præmia denique æternitatis emigrauit. A. C. 856. inter sanctos in tabulas Ecclesiasticas relatus. Fuit Cultor Deiparæ præcipuus, cuius Assumptionis Octauam primus ipse instituit, & in Ecclesiam introduxit.

IOANNES IX. PAPA.

IOANNES IX. Rampoaldi filius, patria Tiburtinus, professione monachus. Huius breui Pontificatu, maxima tamen fuere de orbe Christiano merita Ea inter fædissimo, & pestilentissimo Alberti, & Sergij Romanæ sedis peruasorum schismate Ecclesiam liberauit. Sed & de Imperio æquè atque Ecclesia meritus, eidem sedulo inuigilans, multa pro eius vtilitate statuit, & Berengarium, qui coronationem violenter extorserat, summa cum æquitatis, tum constantiæ atque auctoritatis Pontificiæ comprobatione exauctorauit. Eum ipse etiam Orientis Imperator suspexit, coluit, consuluit, quocum, Ioannes noster, & Augusta coniuge in quarto cognationis gradu dispensauit. Idem summo Reipubl. Christianæ bono, tria Concilia cum paulò supra biennium præfuisset, celebrauit, *vnde* inquit Baronius, *summam sibi laudem comparauit: vtpotè, qui missus à Deo visus sit ad destruenda, quæ à prædecessore Stephano male ædificata fuissent &c.* Ita opportune DEVS è monachis plerumque substituit, qui afflictissimæ Ecclesiæ perturbatissimo rerum statu amantissimè occurrerent, & quæ negligentia Pastorum, incuriâ seu iniuria Principum, damna illata essent, subinde resarcirent. Decessit tantus Pontifex A. C. 905. in templo Diui Petri Vaticano tumulatus, & digno Epitaphio honoratus.

B. LEO V. PAPA.

BEatæ memoriæ LEO V. è villa Priapi, agri Ardeatini, monachus de Brandalo, Congregationis primæ BENEDICTINÆ, S. R. E. Cardinalis, demum Pontifex Maximus creatus, egregiâ sanctitate Sanctissimam Cathedram ornauit, & si nullo alio merito, hoc ipso tamen, multum Romano no-

no nomini addidit. Cuius promptiſsimam benè merendi de vniuerſis voluntatem, Chriſtophorus ambitioſiſsimus Cardinalis impiè intercepit, & lectiſsimum Chriſti vicarium, minime exambitum munus abdicare coegit, & Cænobio incluſit, ipſe vero indigniſſimus tantum Thronum inuaſit, & occupauit. Leo autem non multo poſt, afflictiſsimæ condolens Eccleſiæ mærore contabuit.

STEPHANVS VIII. PAPA.

STEPHANVS VIII. dictus VII. Theudemundo Patre genitus, ex Ordine noſtro ad Cathedram Petri euectus, annos duos, Menſem vnum, dies 15. Eccleſiam gubernauit, cuius res geſtæ, etſi ſcriptorum inopiâ, an temporum iniuriâ interciderint, hoc ſaltem Elogij inter Rom: Pontifices meruit. *VITAM EIVS MANSVETVDINIS ET RELIGIONIS PLENAM FVISSE.* Obijt 931.

S. GREGORIVS V. PAPA.

SAnctus GREGORIVS V. Otthonis Saxoniæ, & Sueuiæ Ducis, ex Juditha Lotharinga filius, Ludolphi Nepos, Otthonis I. Imperatoris cognomento Magni pronepos, Bruno antea vocatus, ex Monacho S. Viti Corbeiæ, Verdenſis primum Epiſcopus, inde Pontifex Maximus ſalutatus, Maximum, & Germani animi Principem maximis factis oſtendit. Cuius vix adito Pontificatu, tanta fuere de Romano Imperio merita, vt nulla ſæculorum æternitate ſatis illud ijſdem liceat demereri. Js primùm Otthonem III. cognatum Imperatorem ſolemniter coronauit, vnde confeſtim Romanæ Eccleſiæ ab eodem Auguſto, cognato Pontifici gratiam referente, illud commodi obtigit, vt impijſſimi Creſcentij intoleranda Tyrannide liberaretur.

GREGORIVS vero viciſſim Imperiò conſulturus (quo maiore poſt S. Leonem noſtrum eo nomine Tertium Imperij tranſlatorem, beneficio, nemo Pontificum Imperium, & Germaniam obligarit) collecto EPiſcoporum Romæ Concilio, de conſti-

constituendis deinceps certis Imperij ELECTORIBVS ad Patres retulit,& septem Imperij Principes, Ecclesiasticos partim, partim sæculares deinceps, Imperatorem electuros esse, & fore, perpetuosanxit, perpetuumq; eligendi ius, penes solos Germanos esse constituit. Vt in hodiernamvsq; diem, ijdem Maximi Germaniæ Principes, GREGORIO nostro, imo, & suo, acceptum tantum honorem potentiamq; debeant, & merito referant, sequuturis etiam post hac sæculis, tantum gratiæ grati animi gratissimâ memoriâ celebraturi.

Vt nihil de perpetuo gliscentium, & ebullientium bellorũ, exciso fonte memoremus, GREGORIO, hac lege condita, PATRIS PATRIÆ Titulum merito, & indepto, quod tanta Electorum dignitate, & electionis æquitate, innumeræ seditionum, bellorum & calamitatum Germaniæ, causæ sublatæ videantur.

Designati ab eodem GREGORIO sex primum Principes, sacri tres, ijdemq; diuersorum Regnorum Archicancellarij, Moguntinus Archiepiscopus Germaniæ, Treuerensis Galliæ, & Coloniensis Italiæ; sæculares tres, Comes Palatinus Archidapiferi Imperialis, Saxonum Dux Mariscalli, & Brandeburgicus Marchio Camerarij munere, & titulis insigniti: Quibus ad tollendam discordiam septimus Bóëmiæ Rex, Imperatoris Pincerna est additus, vt ad quam ipse inclinaret partem, ea potior haberetur.

His alijsq; præclarissimè gestis Pontifex noster, illud tituli Elogijq; planè perinsignis singularisq; meruit, vt ad *Magni* illius & *primi*, item nostri, distinctionem *GREGORIVS* ipse *Minor* appellaretur.

Migrauit ex hac vita Romæ A. C. 999. maximo omnium atq; imprimis pauperum luctu, quorum reuera *PATER* fuerat, summo cum honore in Basilica S. Petri conditus, & digno Epitaphio celebratus.

SILVESTER II. PAPA.

Siluester II. olim Gerbertus siue Gilbertus, Agilberti filius Aquitanus, Gallus, ex Monacho Floriacensi, Rhemensis primum, dein Rauennas Archiepiscopus, iam pridem de Gallia meritissimus, Rhemensibus nimirum scholis, pro-

pter

pter incomparabilem scientiam præfectus, de quarum præstantia sic inter alia Massonus in Hugone Capetto Rege: *Rhemensis schola* inquit; *cæteras antestare videbatur, propter Gerberti authoritatem præstantiamq́, cui ob eam causam Ottho, & Robertus in disciplinam sunt dati &c.* Vir siquidem fuit Gerbertus, omnium longe doctissimus, Philosophicis, & Mathematicis scientijs prorsum admirandus, vnde factum, vt propter insolentiam doctrinæ, Magus vulgo putaretur, quam vulgi opinionem, proni in obtrectationem bonorum, nostri temporis aranei, Hæretici omnes, tanquam profuturum sibi contra Romanam Ecclesiam virus, auidissimè insuxerunt, eoq́; si possent, mundum vniuersum inficere, nequicquam conati sunt; longè aliter sentientibus de Gerberto viris sanctissimis, vtpotè tanquam de iuratissimo sceleris illius infandissimi hoste; quemq; Pontificiæ Historiæ scriptores, *natura prudentem, præstantem pietate, fide insignem, constantia mirabilem, consilio prouidum,* titulis summo Ecclesiæ capite longe dignissimis extollant.

Eius insignes inter laudes retulit Baronius: *Cultorem fuisse Sanctorum virorum tunc viuentium, cupidumq́ Monasticæ obseruantiæ atq́ malorum acerrimum correctorem nec non egregium (N. B.) Defensorem iurium Ecclesiæ. Deniq́ ipsum planè primum extitisse* (ingens reuera meritum!) *qui Sacræ militiæ Classicum occinuerit,* vt amplius quid dici, & prædicari de Romano Pontifice, non posse videatur, constetq́; facilè vnde sibi tantum apud Romanæ Ecclesiæ hostes, odium tantus Pontifex compararit.

Gilberto, alia inter, ante Pontificatum merita, debetur inuentio Horologij, & Organi Aquatici, aliaq́; plurima præstantissima cumprimis, & varia ingenij inexhausti monimenta. Sed & Regnum Vngariæ eidem Coronam debet, quam cum iàm Poloniæ Duci pro meritis destinasset, diuinitus moneri meruit, eam Stephano Vngarorum Duci deberi, quam & cum Crucis insigni eidem dono misit, & primum Vngarorum Regem Stephanum declarauit, quæ in hodiernam vsque diem Crucis insignia, priscis Vngarorum adiecta, acceptum à Numine, & Syluestro nostro honorem ad omnem posteritatem profitentur. Obiit Syluester A. C. 1003. à Sancto Sergio successore pro meritis insigni Epitaphio celebratus.

tuit, cum protospatarium Imperatoris eiusdem ad se capiendum missum, à furore militum populique, Patrem & Pastorem suum impensissimè colentium, & propugnantium, in lectulo suo, ne occideretur, occultauit, fouit, & incolumem postea cum occasione remisit. Exuit mortale hoc corpus, magnus reuera Pontifex, A. C. 701. ob insignia sanctissimæ vitæ merita, inter Diuos relatus, & Martyrologio Romano adscriptus *Bucelin: Wion:*

IOANNES VI. PAPA.

IOANNES VI. Paterni siue Petronij filius, Græcus quidem patriâ sed minime vitâ, professione Monachus, meritis maximus, eâ inter, grandi periculo imò certo exitio, Italiam liberauit, quando populum contra Exarchum furentem compescens, Imperatorum Orientis indignationem auertit, multisq; modis Occidenti consuluit. Idem Gisulphum Principem, comminatâ Omnipotentis irâ atque vindictâ, à Campaniæ & Hernicorum prouinciæ inuasione, non solum remouit, verum adeo perculit, vt omnia, quæ iam ceperat oppida, restitueret, & vnde venerat, obedientissimè se reciperet. Meruit etiam Ioannes, effusissima sua in omnes liberalitate, captiuis maximè vniuersis per totum Samnium conquisitis, & grandi pretio redemptis.

Sancti Pauli Cænobium nostrum, & Basilicam extra vrbem, summè coluit, exornauit, & locupletauit, & post multa alia præclarè gesta, felicissimo & qualem semper optauerat, *facili exitu*, vitam hanc clausit; quem nonnulli (incertum, quo genere Martyrij) Martyrem occubuisse contendunt. A. C. 705. *Ita Bucelinus in Aquila Imper:*

S. GREGORIVS II. PAPA.

SAnctus GREGORIVS II. Primi & Magni GREGORII, professione, & sanctitate, nec non meritis dignissimè æmulus, ex humili Monacho, Pontifex verè maximus etiam ante collatum summæ potestatis honorem, de Ecclesia meritissi-

mus legatione Constantinopolim susceptâ, admirabili triumpho de Græcis ac Schismaticis triumphauit, inque ipsa facie Orientalis Ecclesiæ, eorum errores summo omnium cum stupore manifestos fecit ac confutauit. Vix adito Pontificatu, de vrbe illico atque orbe mereri studuit, bonisque Ecclesiæ ex hostium manibus vindicatis, muros Romæ restituit, & Ecclesias restaurauit. Mox tribus Romæ Concilijs coactis, pijssimum SS. Imaginum cultum religiosissime asseruit, & contra Orientales acerrimè defendit. Leonem Imperatorem Iconomachum, constantissimè corripuit, exiliumque ac fortunam Martini Papæ minitanti, his ipsis, alia inter, verbis rescripsit: *Atque vtinam DEI munere nobis contingat, vt per Martini viam incedamus, tametsi ob plebis vtilitatem viuere volumus, & superuiuere &c. verum tamen per Dominum te obsecramus, à iuuenilibus & puerilibus factis auertere &c.*

Luitprandum Longobardorum Regem qui suadente Leone in necem ipsius cum Exarcho conspirauerat, & iam cum exercitu in campo Neronis consederat, pari, quâ Leo Magnus Sanctissimus Pontifex Attilæ occurrerat libertate, eidem vltro obuius, adeò flexit commouitq́; , vt ad eius se pedes non solum prosterneret, & neminem à se lædendum promitteret, verum, quæ indutus fuerat arma atq́; ornamenta, ante corpus Apostoli poneret, & Exarcho veniam rogaret, eam non solum facile, concedente Gregorio, sed iuratissimum hostem auxiliaribus etiam copijs iuuante.

Contumacem exin Isauricum Imp. & hæreticum, anathemate execratus, Romanos Italosq́; (quos eo vsq́; in officio pessimè de se meriti Cæsaris continuerat) ab eius obedientia absoluit; & ab eodem recedere fecit. Multa præclarè instituit, eaq́; inter, illicita cumprimis toto orbe coniugia proscripsit. Obijt A. C 731. Cuius Sanctissimum nomen, anniuersariæ memoriæ cultu, in Ecclesia perseuerat.

Eius si scripta extarent (ait Baronius) *resq́; ab eo gesta diligentius scriptis mandata essent, Gregorio Magno haud minorem æstimares.* Vt huius quoque tanta MAGNITVDINE PONTIFICIS nomine, Jmperium, Ordo noster, imo Ecclesia, Orbisque vniuersus, haud immerito æternum glorientur; Meritis in eiusdem nominis Pontifici-

S. SERGIVS IV. PAPA.

SAnctus SERGIVS eo nomine IV. Buccaporcinus, ex castro Lunæ oriundus, Monachus lectissimus, si nulla re alia, ipso eximiæ sanctitatis splendore, de sublimissima Petri Cathedra meritissimus. Is alia inter præclara facta, Syluestri II. studia imitatus, de liberandâ tantis terroribus, & tristissimæ seruitutis metu Europa cogitauit, & Italorum principum animos, ad Saracenos è finibus procul pellendos, & è Sicilia cumprimis eijciendos concitauit permouitque: quo quidem conatu cum de Italia, tum de Imperio vniuerso meruit plurimum, cui præcipuè fauisse ex eo etiam comprobatur, quod multorum opinione, electionis per septem viros Auctor habeatur, cum tamen potius confirmasse, quam instituisse credendum sit. Obijt A. C. 1012. Insignibus Elogijs in gestis Rom: Pontificum celebratus.

IOANNES XIX. PAPA.

IOANNES XIX. Gregorij Tusculani Comitis filius, BENEDICTI VII. dicti VIII. frater, ex monacho S. Anastasij in vrbe Congregationis Cluniacensis, & S. R. E. Cardinale Episcopo Portuensi, summus Pontifex renunciatus, alia inter merita, tria Concilia celebrari instituit, è quibus Francofordiense plurimum Ecclesiæ Rom: profuit.

Idem Conradum II. Salicum Imp: coronauit, qui & Ioanni gratiam retulit, grauissimis Romæ seditionibus compositis. Obijt IOANNES A. C. 1032. cum præfuisset annos 8. Menses 9. sepultus in Vaticano, *cuius vita*, inquit Ciaconus, *MIRIFICE LAVDATVR.*

S. GREGORIVS VI. PAPA.

GREGORIVS VI. Romanus, Ioannes Gratianus antea dictus, eximiæ nobilitatis, & summæ perfectionis Monachus, ex S. R. E, Cardinale Archipresbytero Tit: S. Ioannis ante portam Latinam, Christi in terris vicarius

salutatus, æternis beneficijs Ecclesiam orbemque vniuersum obligauit, *cui* inquit Cæsar Baronius, *tunc temporis afflictissima, admonitionibus, censuris, & armis pacem restituit.* vt paucissimis his verbis amplissima dixisse videamur, nisi longe maius illud, admiratione defixos in stuporem ageret, quod in Gregorio Nazianzeno vnius vrbis Episcopo olim admiratus Oriens, in Gregorio nostro vniuersi orbis Pontifice, tanti honoris contemptore, vniuersa in sæculorum æternitates, mortalium ad Occidentem æque ac Orientem posteritas obstupescens deprædicabit. Cum enim eidem Henricus Imperator, quod absque assensu suo electum diceret, instaret, vt summo se Pontificatu abdicaret, nulla is quidem male delusi Regis formidine, verum solo Ecclesiæ & pacis amore, cernens ea occasione, nisi pareret, pestilentissimum denuo schisma conflandum, Nazianzeni factum æmulatus, magnitudinem transgressus, summi honoris Sedem Maiestatemque libenter deserens, ad Archisterium Cluniacense secessit, ibique vitæ reliquum securius feliciusque sanctissimè transegit; ea tanti honoris tam pacifica resignatione spectatior multo, quam illa de qua supra tantorum meritorum in ipso Pontificatu deprædicatione.

S. LEO IX. PAPA.

SAnctus Leo IX. Hugonis filius Comes de Dagsburg, & Egisheim, Germanus, Bruno antea vocatus, ex monacho Tullensi Congregationis Cluniacensis, eiusdem loci, Tulli Leucorum Episcopus, inde ad Cathedram Petri, Auctoritate Henrici III. Imperatoris promotus, habitum Pontificium, quo iam indutus Romam petebat, suasione S. Hildebrandi nostri (qui postea Gregorius VII. appellatus est) memorabili pijs consilijs parendi promptitudine, statim deposuit, liberamque eligendi potestatem, à Cæsaribus toties præreptam, Clero populoque Romano restituit, ab ijsdem instituta quamprimum electione, magno applausu Pontifex salutatus, & voce de Cælo delapsa, insigni prodigio in tanta frequentia populi recreatus, qua

ipsi

ipsi à Numine his ipsis verbis auxilium desuper promittebatur: *Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis.* vnde facile vniuersis, quantum tanto Pastori credendum, fuerat ominari.

Cœpit Pontificatum ingentibus statim meritis, eodemque ipso anno, insolenti sanè visu, ac fructu immenso tria Concilia, Papiæ, Rhemis, & Moguntiæ celebrauit, labique simoniacæ, toto orbe nimirum grassanti, funestissimum bellum indixit, carnis vitia longè lateque exscidit, & miraculorum gloria à Numine illustratus, Ecclesiæ Romanæ honorem, & decus perpetuum addidit. Nec minore merito in exscindenda pestilentissima Berengarij Hæresi postea laborauit, multaque alia cum ex hac tum alijs causis Concilia indixit. Jn auertendo à ceruicibus Christianorum, iugo barbarorum totus fuit, à quibus aliquando interceptus, tantum abest, vt quidquam mali seu iniuriæ passus sit, vt omnibus potius summæ admirationi, & venerationi esset, multoque cum honore dimitteretur.

Jllud singulare de ipso Imperio meritum fuit, quo ipsemet tantus Pontifex difficillimo itinere in Germaniam contendens, vt Cæsarem inter Regemque Vngarorum pacem componeret, miserandum iam imminens Regno vtrique periculum exitiumque auertit, eoque tam illustri paternæ sollicitudinis, & charitatis argumento, ad omnem posterorum eiusdem nationis successionem, merito commendandus.

Jmpensissimo studio Sanctissimum Imperatorem Archiducem & Patrem suum BENEDICTVM coluit, à quo iuuenili etiamnum ætate, cum pestilenti laboraret vlcere, spectabili forma visitatus, & prodigiosè curatus est, ad cuius tanti Patris sepulchrum, iam Orbis Pontifex creatus, altera vice inuisit, & Fratrum ibidem pedes suis ipse manibus lauit. Decessit vir Sanctissimus A. C. 1054. quem insignibus Elogijs B. Victor III. Pon: Max: ipsi familiariter charus commendauit: *à quo*, inquit, *OMNIA ECCLESIASTICA STVDIA RENOVATA, AC RESTAVRATA, nouaque lux mundo visa est exoriri &c. Qui per Apostolicam viam semper gradiens, Apostolicos etiam viros in miraculis est imitatus &c.* vt de hoc Ciue suo Germania, atque Ordo noster haud immerito æternum sibi gratulentur.

S. STEPHANVS IX. PAPA.

SAnctus STEPHANVS IX. alijs X. appellatus, olim Fridericus Gozelonis Lotharingiæ Ducis filius, ex monacho & Abbate Casinense, & S. R. E. Cardinale Tit: S. Chrysogoni, mirifica totius sacri senatus gratulatione Pontifex salutatus est. Verum vsque adeò inuitus reluctansque, vt per vim ex hospitio, ad Basilicam S. Petri ad vincula educendus fuerit, postridiè summo vniuersorum applausu Stephanus IX. appellatus. Is quamuis breuissimo Pontificatu, & infirmo semper corpore, plurimum tamen de Ecclesia meritus, pro eiusdem tranquillo statu assiduè laborauit.

Imperium curæ inprimis habuit, in eoque à Simoniaca Hæresi perpurgando multum desudans, Henricum denique Imperatorem, aggredi non veritus, cum is aperta sacrorum nundinatione, sacerdotia, Abbatias, Episcopatus venalia habere, nec prohiberi vellet, piorum demum cætu prohibuit, & sacris interdixit. Idem de ipso etiam Oriente sollicitus, & meritus, in eo à Schismate vindicando plurimum operæ insumpsit. S. Petrum Damiani Cænobio extrahens Ecclesiæ plurimum profuit, cui Damianus, incredibile dictu est, quantum præstiterit. Obijt Stephanus altero Pontificatus anno, multis à funere nobilitatus prdigijs, & insigni fidelium concursu ac veneratione celebratus.

S. GREGORIVS VII. PAPA.

SAnctus GREGORIVS VII. Bonicij filius, Tuscus patria è familia Comitum Petiliani, Hildebrandus ante Pontificatum dictus, in ipsa pueritia admirandus, nihil pueros inter puerile admisit, eam ipsam ob causam sancto cuidam viro piè suspectus, cum infantili molitione, ædiculas è lignorum segmentis struerent alij, ipse discessione facta, ignorante etiam manu, in arena littoris segmenta longo ordine poneret, & quas legere non poterat literas formaret, hoc ipso versu structione sua absoluto: *DOMINABITVR A MARI VSQVE AD MARE*, Ab eodem

eodem seruo Dei iam tunc quantus futurus esset Pontifex agnitus prodicusq; est. Monachum postea Cluniaci professus, in omni ætate admirabilis omnibus visus, meruit non multo post Prioris munere sanctissimo ac frequentissimo Monachorum Collegio præfici, iam tunc prodigijs à Numine commendatus, cum de more cucullum manibus excuteret, inde scintillis pro puluere exilientibus. Et reuera igneus totus erat, ita vt quæ ore proferret, veluti ignis vniuersos inflammarent, & medullas quasi ipsas depascerent. Prædicationis munere strenuè functus, eo tantopere excelluit, vt Henricus III. Imperator diserte fateretur: *Nunquam se audisse hominem cum tanta fiducia Verbum Dei prædicantem* A quo Romam abductus, cum inde se rursum subducere pararet, trina Apostolorum Principis apparitione, vlterius progredi prohibitus est. A Leone IX. Subdiaconus ordinatus, dein monasterio S. Pauli extra vrbem Prælatus, & ab apparente Gentium Doctore confirmatus, Cænobium illud insigniter reformauit. Mox Archidiaconus creatus, & grauissimis quibusque Ecclesiæ negotijs adhibitus, innumeris se meritis, & grandibus miraculis vniuerso commendauit. In Gallias directus, prodigiosissimo felicissimæ legationis successu, ita Ecclesiam perpurgauit, vt vno in consessu præter viginti septem alios Prælatos, quadraginta quinque Episcopi per simoniam ingressi, suo se honore sponte abdicauerint; cum mira eorundem probatione, GLORIAM SPIRITVI SANCTO, etiamsi conarentur, dare non posse prædiceret, & solemni precatione: GLORIA PATRI ET FILIO, pronunciato diserte, ad reliqua, qui ex illis innocentiam probaturi erant, statim obmutescerent.

Pontifex postea Alexandro II. mortuo admirabili consensu, applausu atque acclamatione salutatus, cum vniuersi in has voces, HILDEBRANDVM ARCHIDIACONVM BEATVS PETRVS ELEGIT, erumperent, reclamans obnixusque rubea Chlamide indutus, & Mitra Pontificia redimitus, mærens lugensque eminentissimæ in terris Cathedræ impositus est. Præfuit afflictissimis, si vnquam antea vel postea, temporibus, inq; immani fluctuum tempestate, qua mare hoc magnum repentè in immensum intumuit, Nauiculæ Petri, vt peritissimus, sic imperter-

perterritus rector, tantis fluctibus, constantissimè obnixus, præter Reges, ac Principum potentissimos, quos liberrimè correxit ac castigauit, Orientis Occidentisque eodem tempore (miranda res!) Imperatoribus, sese vnus opposuit, deq; ijsdem gloriosissimè triumphauit; Nortmannos & Saracenos compescuit, inque tanta rerum perturbatione, ac negotiorum, & fluctuum mole, sibi constans semper, Concilia plurima summo cum Reipublicæ Christianæ bono celebrauit, innumeras penè legationes expediuit, fidelibus vndequaque consuluit, diuersissima Regna iuuit, Gentiles conuertit, Hæreses obtriuit, Græcos ad communionem pellexit, Croatiam, & Dalmatiam titulo Regni insigniuit, Patrimonium S. Petri auxit, Romam ab incendio prodigiose seruauit, Clerum reformauit, monachorum studia accendit, præclarissima multa per Ecclesiam instituit, vt nec numerare quidem, nedum describere seu expendere, tantorum liceat immensitatem meritorum. Meritus idem verè Maximus Pontifex, insolentissimum planè amorem Virginum Virginis, & fauorem singularem, ac fere maternum affectum, quo in imagine etiam sua, quam frequentius, & impensius colebat Gregorius, eidem arridere perquam familiariter, lachrymanti autem, pie condolere & collachrymari visa est, quem summo Ecclesiæ solatio eadem benignissima MATER, prodigiosè curare dignata, incolumem esse iussit, cum vehementissima æstuans febri, periculosè decumberet. Eius celebrantis dextro humero, candidissima de cælo descendens columba, insidere conspecta est, vt in eo primi Gregorij spiritum requieuisse nemo ambigeret. Defunctus est tot ærumnis atque laboribus Pontifex verè prodigiosus A. C. 1085. etiam à morte obseruatum Pontificiæ maiestatis decus, & probatissimam Petræ Romanæ firmitatem, Hæreticis sæculorum omnium (præeunte mendaciorũ Architecto Bennone Pseudo Cardinale, iuratissimo Gregorij hoste) & inferis ipsis inuis9, metuend9, intolerand9, cuius virgineũ corp9 ætate nostra post annos à morte quingentos, sacris amictũ,& ferè integrũ repertũ est, & digniore tumulo exornatũ, nomen autẽ Martyrologio Romano inter sanctos adscriptũ, toto terrarũ orbe anniuersaria memoria dignissimè recolitur.

S. VI-

S. VICTOR III. PAPA.

SAnctus VICTOR III. Dauferius in sæculo, monachus & Abbas mutato nomine Desiderius appellatus, Samius Patria, Beneuentani Principis filius, familia Epiphania, paratis iam sibi nuptijs, & opulentissimo renuntians Principatui, monachum apud Casinates professus, tanta enituit vitæ sanctitate, vt Sanctissimo illi Ordinis Archisterio Abbas præfici meruerit; quem honorem, vt admitteret, multum deprecatus & nimium obluctans, vix tandem feruentissimis suorum lacrymis permotus acquieuit. Pari desiderio post obitum admirandi illius sanctitate, & constantia Pontificis Gregorij VII. ab vniuerso Clero, ac Populo Romano, successor expetitus, cum nullis precibus flecti posset, inuitus demum, reclamans, renitensque Christi anno 1086. Pontifex salutatus, & coronatus Victoris III. nomen accepit, vniuersa vrbe de tanti capitis electione plaudente & triumphante. Verùm Victor, inaudito ad eam diem contempti summi honoris exemplo, post dies quatuor Româ egressus, insignia Pontificatus Tarracinæ dimisit, & cucullo contentus suo, Casinum se recipiens, rigidus, & sanctè obstinatus, nullis omnino precibus, lacrymis, rationibusque, illa vt resumeret persuaderi potuit. Quoad denique altero post anno, Ecclesia quasi de nullo alio, quam Desiderio suo, vnice sibi desiderato cogitante, Sacri Præsules Vniuersi, cum Iordano Capuano Principe, ac Rogerio Calabriæ Duce, ad eius pedes prouoluti: *ne rem Christianam grauioribus incommodis affectam vellet, neuè totius Cleri ac tot procerum, infimas supplicationes frustrari pergeret, quibus omnino deliberatum ac constitutum esset, neminem alium, ipso quidem superstite, ad id honoris euehere:* victus tandem Victor noster, manus præbuit, & cum metueret Numinis resistere voluntati acquieuit, & breui licet Pontificatu, multa tamen præclarissimè gessit: Roma nimirum, summo totius orbis Christiani bono, & gaudio, grauissimo schismate liberata, profligatisque in Africa Saracenis felicissimus, immaturâ tamen morte, summæ omnium expectationi summisque conatibus præreptus: quem nonnulli Martyribus accensent, veneno, vt aiunt à schismaticis propinato

extinctum, A. C. 1087. Insignia eius inter ingenij monimenta celebrantur inprimis libri quatuor, quibus sanctissimi Archiducis sui BENEDICTI discipulorumque eius Casinensium res gestas est prosequutus, ipse à Petro Damiani nostro viro sanctissimo & oculato teste *MONACHORVM ARCHANGELVS* appellatus.

B. VRBANVS II. PAPA.

BEatus VRBANVS II. olim Ottho de Castellione, Milonis filius, natione Gallus, ex Monasterio Lateranensi, strictioris vitæ desiderio ad Cauense transiens inde non multo post Cluniacum admissus, inter præstantissima sanctissimi loci sydera præcipuè eluxit. Jnde postea extractus, & S. R. E. Cardinalis Episcopus Ostiensis renunciatus, iam tum maximis meritis orbi innotuit, grauissimisq; Legationibus dexterrimè perfunctus, in Guibertinâ maximè Hæresi profligandâ plurimum meruit, adeòq; Sanctissimis Pontificibus Gregorio VII. & successori eiusdem Victori III. se probauit, vt vterq; dignissimũ iudicarent, qui sibi in summa Reip: Christianæ cura, & vniuersi orbis regimine succederet, eoq; nomine S. R. E. Cardinalibus enixius commendarent.

Mortuo proin Victore, summo omnium consensu applausuq; Pontifex renunciatus, inprimis curis habuit, ad sanctissimi Patris sui BENEDICTI tumulum Casini inuisere, ipsiq; susceptum onus commendare: Vbi grauissimo laterum dolore penè exanimatus, ipsomet opitulante, & apparente BENEDICTO prodigiosè curatus est.

Mox præclarissimè de Ecclesia mereri aggressus, ante omnia sanctissimi antecessoris sui Gregorij VII. acta approbauit & schismaticis sese constantissimè opposuit. Concilia plurima (quorum sedecim, grandi sanè, sub vno scilicet Pontifice numero enumerat Binius) inæstimabili cum vtilitate, ac dignitate Ecclesiæ celebrauit; Guibertum Antipapam vrbe expulit, Henricum Jmperatorem ob immania flagitia excommunicauit, primus *Cruciatæ*, memorabili item merito, contra infideles auctor, admirabi-

mirabili felicitate, Palæstinam, & Jerosolymam recepit, & Saracenos plurimis bellis proterens, gloriosissimè triumphauit. Fuit cultor *ADMIRABILIS MATRIS VIRGINIS* præcipuus, cuius ipse OFFICIUM æterno cum merito fructuq; (*CURSUM B. M. V. vulgo appellant*) toto terrarum orbe promulgauit, & a Monachis etiam ad Clericos transtulit, sed & vsum eiusdem sæcularibus commendauit; vt ad ipsum cum publica tot Ecclesiarum, Collegiorum, & Ordinum vota, tum priuata tot millium Deiparæ deuotorum pietas, magna ex parte tanquam ad Institutorem spectare videantur. Gratissimum præterea eidem Magnæ Matri nostræ, Cisterciensium nostrorum Institutum, perfectissimam Benedictini Ordinis Reformationem confirmauit, & summo studio propagauit Quin & pulsum Matutinum, Meridianum & Vespertinum ad iuuandum exercitum Christianum toto orbe indixit; Hæreticos verbo, & exemplo, imo & scriptis doctissimis conuicit, & multo alio nomine, Imperium, Ecclesiam, Orbem vniuersum sibi obligatissimum reddidit. Mortuus est A. C. 1099. rebus iam compositis, seditionibus sedatis, munitionibus Ecclesiæ recuperatis, ciuibus omnibus sibi reconciliatis, paceq; diu exule restituta, atq; ipsa Catholica Ecclesia in tranquilliorem statum reuocata gloriosissimus felicissimusq;.

S. PASCHALIS II. PAPA.

SAnctus PASCHALIS II. Reginerius antea vocatus, Crescentij & Alfatiæ filius, Tuscus, ex Monacho, & Abbate S. Laurentij, & Stephani extra muros Romæ Congregationis Cluniacensis, & S. R. E. Presbytero Card. Tit. S. Clementis, expetente populo, eligente Clero, ac collaudante sacro Cardinaliũ senatu, in schismate contra Clementem III. Antipapam, verus Ecclesiæ Pastor constitutus, admirabili industria operam suam sanctæ Matri comprobauit. Et quia in frequenti Conciliorum cum Generalium, tum prouincialium celebratione, longè maximam ac præcipuam Ecclesiæ vtilitatem pendere, non dubitabat, mirabili zelo, & inæstimabili fructu, solus ipse dum præesset, sex & viginti (celebrioribus solum computatis) Concilia

cilia indixit, ijsq; rei Ecclesiasticæ & Regnorum vtilitati mirificè consuluit. Meriti incomparabilis, & ad æternitatem omnè inprimis memorabilis, syllabum solum memoriæ loco attexamus *Primum* quod celebrari instituit Concilium fuit Pictauiense anno Pontificatus primo, Christi 1100. 2. Lateranense A. C. 1102. 3. Londiuense sub idem tempus. 4. Londinense secundum 5. Trecense primum. A. 1104. 6. Florentinum A. C. 1105. 7. Quintelinburgense 8. Moguntinum. 9. Guastallense. 10 Hierosolymitanum A. C. 1107. 11. Trecense secundum. 12. Londoniense 1108. 13. Beneuentanum eodem anno. *14.* Pictauiense A. C. 1109. *15.* Rhemense. *16.* Hierosolymitanum II. *17* Lateranense II anno 1112. *18.* Viennense. *19.* Beneuentanum A. C. 1113. *20.* Apud Cyperanum eodem anno. *21.* Beluacense. A. C. 1114 22. Syriacũ 1115. 23. Troianum 24 Coloniense A. C. 1116. 25 Lateranense III. 26. Romanum IV. Vt ex hoc solo tanto numero innumeram meritorum multitudinem Paschalis nostri omineris facilius, quam metiaris. Sed alia obiter attingamus: quorum illud inter præcipua eius numerandum: inconcussæ constantiæ virum de quatuor omnino monstris, summæ Cathedræ inuasoribus, Guiberto, Alberto, Theodorico, & Maginulpho, gloriosissimè triumphasse. Proximus triumphus, de Simoniaca & Henricianorum Hæresi fuit: inde alius æquè insignis, de effrenata Clericorum libidine, concubinatu velut iure quodam in orbem introducto, atq; vnà cum infando fidelium scandalo, à Paschali nostro felicissimè proscripto ac profligato.

Sed & de infidelibus maxime in Oriente triumphos plurimos egit Sanctissimus Pontifex, cuius auspicijs feliciter res gestæ, & antiquis renouatis miraculis, innumerabiles hostium copiæ deletæ sunt. Idem Tyrannos varios oppressit, Romanorum insolentiam compescuit, Henricum Cæsarem ad obedientiam pertraxit, Ecclesiasticam ditionem à multis discerptam, restituit, & amplificauit; Schismadeniq; atrocissimum omnino dissoluit, ac sustulit, & pace orbi atq; Ecclesiæ reddita, innumeris meritis diues ad triumphos æternos abijt A. C. 1118.

S. GELASIVS II. PAPA.

SAnctus GELASIVS II. Ioannes antea vocatus, patria & familia Caietanus, ex Monacho Casinate, & S. R. E. Cardinale Tit: S. M. V. in Cosmedin, omnium Patrum votis Pontifex Vrbis, & Orbis salutatus, primam statim electionis diem, innocentissimi sanguinis gloriosissima purpura insignem reddidit, à Cincio Frangipane, pugnis & calcibus percussus, & tanquam brutum animal, intra limen Ecclesiæ acriter calcaribus cruentatus, per capillos & brachia tractus, & captiuus, ad domum nefarij Principis perductus; quem tamen mox ciues in libertatem vendicarunt; cum vix ereptus, à Cæsare Henrico pari scelere appetitus, ægre in patriam Caietam euasit. Romā reuersus, iterum Frangepaniorum manus vix euasit, & quod vndiq; appeteretur, in Galliam se deniq; recepit, summâ fidelium gratulatione ibidem exceptus. Meruit breui licet Pontificatu, plurimum de Ecclesiâ Gelasius, & quatuor Concilijs celebratis, ea inter duo in Germania conuocari voluit, & afflictissimæ Germaniæ consulere laborauit. Denum Concilio Viennensi cum ipse interfuisset, & illud nagno Ecclesiæ bono felicissimè absoluisset, ad sanctissimum Cluniacense Archisterium delatus, postquam prouido mentis intuitu Ecclesiæ mirâ industriâ, & charitate prospexisset, inter perfectissimorum Monachorum agmina fortunatissimo obitu decessit, à sanctitate, continentia, doctrina, ac dicendi eloquentia, quæ tunc temporis pro miraculo habebatur egregie commendatus. Eum insigni Encomio honorat his verbis Cardinalis BARONIVS. *Post Martyres, inquit, qui fuso sanguine Martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices, aliquem quis inuenerit, qui breuiori vitæ tempore, maiora sit passus, ob idq; præclariori Corona donandus, atq; celebrioribus fuerit præconiis celebrandus &c.* Præfuit menses solum vndecim, dieq; sex & viginti, sepultus in Cænobio Cluniacensi A. C. 1119.

CALLISTVS II. PAPA.

CALLISTVS II. Guido antea vocatus, Gulielmi Burgundiæ Comitis filius, ex Monacho Monasterij Fallericani Congregationis Cluniacensis, & Archiepiscopo Viennensi, ad summam in terris Cathedram subuectus, sui electionem per visum quoddam mire præcognouit, cum proxima electioni nocte, sibi à præpotente quadam persona, lunam sub chlamyde repositam committi vidisset, ne causa Ecclesiæ transitu Apostolici periclitaretur. *Quod magis magisq; perspicuum*, inquit Baronius, *euenta reddiderunt: siquidem diuturnum bellum ob Inuestituras conflatum, diu multumq; Ecclesiam fatigans, & lacerans, cedente tandem Imperatore, ab eodem Callisto Papa felicissimè compressum est.* Vt hac vna re, si nulla alia satis celebratus tantus hic Pontifex noster videatur. Sed & ante Pontificatum, tanti idem est habitus, præsertim cum sub Paschali II. Legatione Apostolica fungeretur, vt *MAGNVM TEMPORE SCHISMATIS CATHOLICÆ ECCLESIÆ FVISSE PROPVGNACVLVM* celebretur.

Vix adita suprema dignitate, maximi animi statim indicia prodidit, & Rhemos indicens Concilium, de iuuando labente in præceps orbe, plurima vtilissime decreuit; mox Ecclesiam magno, vt labore sic fructu perpurgare aggressus, grauissimos errores sustulit, Ecclesiæ rebelles compescuit, ipsum deniq; Cæsarem ad officium reuocauit, permouitq;. Tum Concilium Generale Romæ cogens Ecclesiasticam disciplinam restaurauit, sed & aliud eodem anno per Germaniam indicens, Vuormatiæ nimirum, sic demum Imperatorem flexit, vt electionibus Episcoporum spontè renunciaret. Eidem DEVS pro tantis meritis etiam in hac vita gratias plurimas contulit, easq; inter plurimis in Oriente contra Saracenos victorijs beauit. Decessit magnus reuera Pontifex A. C. 1124. *Cuius memoria*, inquit Cæsar Cardinalis, *summa cum benedictione in Ecclesia Catholica perseuerat; vt pote Sanctissimi Pontificis, cui Deus dederit, tam breui tempore adeò gloriosa peragere, Ecclesiamq; Imperatorum Tyrannide, seruitutis iugo depressam, VINDICARE IN PERPETVAM LIBERTATEM.*

INNOCENTIVS II. PAPA.

INNOCENTIVS II. Gregorius antea vocatus, familia illustri de Papa, Joannis filius. ex Abbate Sanctorum Nicolai & Primitiui S. R. E. Cardinalis, à B. Vrbano II. creatus, mortuo Honorio II. in B. Petri Cathedram euectus, eam maximis, & ipse meritis demeruit, & connitente inprimis Mellifluo Doctore nostro Bernardo, grauissimum schisma propulsauit, Lothariumq; Germaniæ Regem, importunius pro Inuestituris sibi restituendis instantem, eiusdem Bernardi opera, magna cum Ecclesiæ, tum Germaniæ vtilitate, & Clero conciliata auctoritate deterruit; multaq; in veneratione deinceps ab eodem Imp. habitus, cum ipso Generale colloquium de statu Ecclesiæ, atq; Imperij in Roncalijs habuit. Pari diligentia ac sollicitudine Galliarum Regnũ iuuare aggressus, idem per seipsum lustrauit, & reformauit, ab omnibus summa veneratione exceptus, solis Nouiomensib⁹, derisorijs ipsum verbis contemnentib⁹, qui statim, vlciscente Numine, prodigioso incendio pænas dederunt. Celebrauit plura summo Ecclesiæ bono Concilia Innocentius noster, & præter atrocissimum schisma, Arnaldistarum pestilentissimam Hæresim Orbe eliminauit. Obijt A. C. 1143. plenus meritorum, & reddita inprimis Ecclesiæ pace, æternum celebrandus.

B. EVGENIVS III. PAPA.

BEatus EVGENIVS III. ex abbate S. Anastasij in vrbe, Pontifex creatus, æternum sibi nomen, & Ecclesiæ decus præclarè gestis conciliauit. Eius Pontificatus initia illustrissima, Armeniorum conuersio, reddidit. Sed & sacrum bellum, quod ipse ingenti molitione, concitatore Diuo Bernardo nostro, contra infideles indixit, maximum eius animum, propagandæq; fidei zelum orbi prodidit.

Neq; Saracenos solum in Oriente appetere satis habuit, pari feruore aduersus Boreales Paganos populos expeditionem suscepit, & quantis potuit modis, Christi, & Ecclesiæ ditionem augen-

augendo intendit. Concilia aliquot celebrauit, è quibus Rhemense inprimis Reipub: Christianæ mirificè profuit, inquo Eudonis maximè pestilentissima Hæresis, & præstigiæ proscriptæ sunt; sed & Principum maximorum inter se grauissimè dissidentium causæ cognitæ, & plurimorum bellorum fædissima incendia consopita. Decessit ingenti cum luctu tantus Pastor Ecclesiæ A. C. 1153. insigni miraculorum gloria à Numine post mortem illustratus.

ANASTASIVS IV. PAPA.

ANASTASIVS IV Conradus antea vocatus, Benedicti de Suburra Romani Nobilis Filius, ex monacho, & Abbate Sancti Rufi Veliternæ Diæceseos, Orbis Pontifex salutatus annum vnicum, & menses insuper quatuor præfuit, quo tam breui tempore, si nulla re alia, vitæ tamen exemplo dignissimè præfuit, & plurimum profuit, cum ab alijs virtutibus, tum ab insigni liberalitate commendatus, qua verum se pauperum patrem comprobans & verè Pastorem bonum, affligente maxima fame Europam, effusè egentibus subuenit, & dignissimo exemplo, quo conferendi thesauri Pontificij essent, omni successorum posteritati ostendit.

HADRIANVS IV. PAPA.

HADRIANVS IV. Nicolaus Breaksper antea vocatus, obscurissimis parentibus editus, Patrem Robertum habuit, Monachum postea in Diui Albani professum, quo cum ibidem aliquot annos degens, Abbas demum Sancti Rufi effectus, ab Eugenio III. sacro Cardinalium Collegio adlectus, summum denique Pontificatum meruit, cumque præclare gestis insignem reddidit. Fuit terribilis admodum Hæreticis atque Schismaticis, Apostolico zelo, iam ante Pontificatum, commendatissimus, quo Daniam ac Noruuegiam magna ex parte Christo, & Ecclesiæ lucri fecit. Idem Romanam vrbem seditio-

ditionibus pessimè agitatam, composuit, eiusque in gratiam recepit. Idem Hæresiarcham nequissimum Arnaldum, Vrbis Orbisque perturbatorem, ab Imperatore (cuius castra sequebatur) extorsit, & flammis tradidit. Idem Græcos sæpè, scissura diuisos, ad sacræ Rom: Ecclesiæ sinum, & communionem adducere multum laborauit Idem Gulielmum Siciliæ Regem Ecclesiæ Rom: oppida diripientem, sacris interdixit, & cætu fidelium exclusit, nec non Regno deiecit. Idem Apostolicæ sedis dignitatem magnopere amplificauit, & plurima alia præclare gessit, plenusque meritorum Christi anno 1159. vitam hanc exuit, maximique nominis in terra memoriam reliquit.

ALEXANDER III. PAPA.

ALEXANDER III. PontifexMaximus, Senensis patria, olim Rolandus appellatus, Raynucij Bandinelli filius ex Canonico Cathedralis Pisanæ Ecclesiæ monachus Claræuallis in Lombardia Cænobij, cum & morum, & eruditionis laude præstaret S. R. E. Cardinalibus accensus, ab Eugenio tandem tertio Cancellarij eminentissimo gradu sublimatus, Adriano mortuo, summi Pontificatus apicem conscendit, quanto maiore temporum difficultate, tanto euidentiori maximi animi, & egregiæ virtutis comprobatione toto Orbe spectatus. Obnixus est, incredibili constantia immensis fluctibus Alexander noster, & quod mirandũ de Cæsare demum, deque quatuor atrocissimis bestijs, Schismaticis nimirum Pontificibus, Octauiano de Monticello, Guidone de Crema, Ioanne à Strumia, & Laudo siue Lando gloriosissime triumphauit; & supplici ac prostrato ad pedes Friderico Cæsari gratiam, Orbi & Ecclesiæ quietem tanto post reddidit.

Romæ celeberrimum conuocans Concilium reformandæ Ecclesiæ diligentisśimè intendit, & multa sanctè instituit. Fuit summo in honore longe humillimus, in egentes, & iuratisśimos insuper hostes beneficus. Octauiani Antipontificis mortem Dauidis exemplo multum deplorauit, & exultantibus Patribus purpuratis, haud leuiter succensuit, cuius mortem, & tempus mor-

mortis prophetico ſpiritu prædixiſſe memoratur. Et quamuis tantus eſſet, reperêre tamen crudeliſsimi illi exactores Dæmones, quod rectam eidem ad cælos ſemitam retardaret, niſi Apoſtolorum Princeps, Diuique Gregorius I. & Iſidorus noſtri interueniſſent, & exorata magnæ etiam MATRIS ope, recta deduci ad ſuperum gaudia Alexandrum ſuum ab æquiſsimo iudice impetraſſent. Quod ipſum beatæ memoriæ Marcus Sancti Iſidori Legionenſis Canonicus mira viſione in Hiſpanijs conſpexit, ipſaque die ac hora quibus deceſſerat Alexander, Canonicis fratribus ſuis prodidit. A. C. 1181.

S. GREGORIVS VIII. PAPA.

SAnctus GREGORIVS VIII. Albert⁹ antea vocatus, natione Samnis patriâ Beneuentan⁹, familiâ de Mora nobili, & honorata ortus, ſummæ perfectionis, eruditioniſq; laude celeber, ab Adriano IV. Cænobio extractus, inſignem ſtatim operam Eccleſiæ nauauit, & ſacro Senatui accenſus, denique DEO bene iuuante, Vrbano III. extincto, Cathedræ Diui Petri, inſigni omnium gratulatione impoſitus, breuiſsimo, duorum ſolummodo menſium Pontificatu, magnanimitatem tamen ſuam, zelum ac pietatem, non vno argumento vniuerſæ poſteritati prodidit, à celeberrimi nominis ſcriptoribus ſumme commendatus, aſſerere non dubitantibus, eo acriorem diligentioremq; Pontificem creari non potuiſſe.

Hieroſolymam ſub anteceſſore à Saladino recuperatam, vt reciperet, ſacrum ſumma contentione bellum indixit, efferueſcentia paſſim inter Chriſtianos odia, & metuenda admodum bella, compoſuit, pacem denique & armorum depoſitionem totâ Europâ ad integrum ſeptennium promulgauit. Deceſsit in medijs conatibus expeditionis ſacræ Piſis, quo ſe Ferrariâ relicta, ad negotia Cruce ſignatorum maturanda ipſe contulerat; cuius morte *Clariſſimam* ORBIS LVCEM EXTINCTAM Ciaconius aſſeuerat, viri non tam ab eruditione ſingulari ac facundia, quam vitæ ſanctitate plurimùm commendati. Mortuus A. C. 1187. & in Cathedrali Piſana tumulatus.

B. GRE-

B. GREGORIVS IX. PAPA.

BEatus GREGORIVS IX. olim Vgolinus ex Comitibus Signiæ oriundus, vti genus, longo quidem sæculorum decursu ad sanctissimum Patriarcham nostrum retulit, sic eidem nouo iure, in cucullo sese deuouit, ex quo, pro vitæ meritis ad summa Ecclesiæ negotia expetitus, ex Diacono Cardinale S. Eustachij, Episcopus Ostiensis, & Veliternus, summam deniq; Cathedram conscendere meruit, & orbem, vt maiestate, sic beneficijs maximis impleuit, & demeruit.

Paucissima è plurimis commemoramus: Eius primum iussu, campanæ sonitus, cum ad consecrationem in SS. Missæ sacrificio tum ad salutationem Angelicam, per Ecclesiam, & orbem terrarum vniuersum institutus, fidelium pietatem, & reuerentiam, tam ad venerandum Christi Corpus, quam admirabilis Matris electionem, & gratiam suspiciendam & colendam mirè induxit, & concitauit. Idem Fridericum Imp: & reliquos Europæ Principes, ad sacrum bellum potenter erexit, atq; accendit. Eumdem Cæsarem, minus Ecclesiæ deuotum, atq; addictum, admirabili constantiâ officij commonefecit, & surdum diris deuouit, & Imperio deiecit. Idem Perusinos aliosq; inter se dissidentes, amicè composuit, & magno periculo uicinos liberauit. Idem Hannibalinam Hæresim felicissimè oppressit; vrbem ad officium reduxit. Idem perinsigni de sacris familijs merito, SS. Dominicũ, & Franciscũ, illum Prædicatorum, illum Minorum Institutores, Beatos item Antoniũ de Padua, & Elisabetham Reginam, Sanctorum albo adscripsit, & Canonizauit. Factionibus item Guelphorum ac Gibellinorum inualescentibus obnixus, pessumeunti Romæ atq; Italiæ occurrit, ad sacrum potius bellum rebelles dissidentesq; induxit. Decessit Romæ tantus Ecclesiæ Pastor A. C. 1241. ingenti apud omnes sui relicto desiderio.

B. INNOCENTIVS IV. PAPA.

BEatus INNOCENTIVS IV. olim Sinibaldus Fliscus, ex Lauaniæ Comitibus oriundus, Obizonis filius, Genuensis Ligur, ob egregiam Diuini humaniq; iuris cognitionem ex monacho sancti Benigni Fructuariæ, Purpuratorum Patrum collegio adiunctus & Presbyter Card: Tit: Sancti Laurentij in Lucina, à Gregorio IX. creatus, cum eximia insuper emineret vitæ sanctitate, turbatissimis Reipublicæ Christianæ temporibus, ad eam summa cum potestate gubernandam, Pontifex Maximus salutatus est.

Eum infensissimus licet Ecclesiæ Romanæ Fridericus II. Jmperator Cardinalem plurimum dilexit, & Pontificem reueritus est; de cuius electione cum audisset, amicissimum se Cardinalem Sinibaldum perdidisse, iuratissimum autem hostem Innocentium nactum esse, diserte edixit. quod ipsum paulo post euentus docuit; cum Innocentius iura Ecclesiæ maximo animo tueretur, & Cæsarem ijs cedere renuentem, diris denuo deuoueret, & regno exueret. Concilio Generali Lugduni celebrato, multa æternum orbi profutura decreuit, & sacrum denuo bellum indixit, cui Ludouicum Galliarum Regem præficiens, *CHRISTIANISSIMI* Titulum, iam olim à nostris ijsdem Regibus concessum, aliquamdiu intermissum, reddidit, eorundemq; successoribus perpetuum voluit: Galerum purpureum S. R. E. Cardinalibus attribuit, & pro insigni quasi assignauit, cuius sanguineo colore, notare se asserebat, *PARATOS ESSE DEBERE, PRO REPVBLICA CHRISTIANA, ET LIBERTATE ECCLESIASTICA ADSVVM ETIAM SANGVINEM PROFVNDENDVM.*

Jdem Regnum Neapolitanum Pontificij solij Imperio adiecit, & tanta accessione Patrimonium S. Petri adauxit. Idem Tartaros, ad Communionem fidei, & Christiana sacra vocauit, suaq; industria omnes orbis prouincias lustrauit atque curauit, Idem Cruciferorum Ordinem approbauit, Edmundum Cantuar: Vuilhelmum Briocensem, & nostrum Stanislaum Cracouiensem, Pontifices, sanctorum albo adscripsit, Idem Deiparæ honorem summo

summo studio promouit, cuius Octauam Natiuitatis, per vniuersam Ecclesiam instituit. Ordines Prædicatorum, & Minorum, multis modis demeruit, propagauit, iuuit ac fouit. Summa in orbis cura, de studijs nihil remittens, ijs orbi vniuerso mirè consulere laborauit, & consuluit; Commentarios in Decretalium libros, vulgo Apparatum Sacrum, Nouellas, aliaque vtilissima scripsit, & edidit, Titulo longè dignissimo, *PATER IVRIS*, iure merito appellatus. Decessit multis alijs meritis longè meritissimus Pontifex, A. C. 1254. ab vniuersis fidelibus diu multumque deploratus.

ALEXANDER IV. PAPA:

ALEXANDER IV. olim Raynaldus, Comes Signiæ, Philippo patre natus, ex seris sanctissimi Patriarchæ nostri BENEDICTI, sanguinis Anicij nepotibus, Monasticâ autem professione, & virtutis æmulatione eiusdem filius, ob insignem, & virtutis, & eruditionis famam, à Gregorio IX. sacro Cardinalium Senatui adscriptus, mortuo demum Innocentio IV. Successor designatus, maximo quamprimum animo arduos Ecclesiæ labores aggressus est, constantiâ inprimis, & vigilantiâ enituit. Manfredum Siciliæ Regem Friderici II. filium, paterni sceleris impiè æmulum, à rapina rerum Ecclesiæ abstinere monuit, contemnentemque publicâ in concione, Anagniæ sacris interdixit; & quamuis variè vexatus, alios tamen etiam tyrannos animosè persequi non dubitauit. Verus fuit Pauperum Pater quibus liberalissimè subuenit; Hæreticorum osor iuratissimus, libros eorundem proprijs manibus exussit; & vt erat vigilantissimus, pestilentissimam *de statu gratiæ* Hæresim quandam in ipso ortu felicissimè extinxit.

De litterarum studijs item meritissimus, litteratos plurimum coluit, ac promouit; Vniuersale studium in Regno Nauarræ Tudelensi in oppido, magno eius Regni commodo instituit. Ipse etiam à studijs quibus cultissimus erat nunquam ne Pontifex quidem omninò remisit, verum ingenij semper aliquod moni-

mentum relinquere laborauit. Vitæ tamen maximè ſanctitate Petri Cathedram exornare contendit. De diuerſis ſacris ordinibus, bene meruit; Eremitatum S. Auguſtini inſtitutum confirmauit, eidemque alias quaſdam Eremitarum Congregationes adiunxit, Pacis conciliandæ ſtudioſiſſimus fuit, & factiones Guelphorum ac Gibellinorum nouis incrementis auctas diligenter conſopiens, Venetos demum Liguresq; inter ſe grauiſſimè diſſidentes per ſeipſum componere conatus, tam ſancto conatui immortuus, Viterbij deceſſit A. C. 1261.

VRBANVS IV. PAPA.

VRBANVS IV. Trecis humili natus genere, patrem Panthaleonem ſutorem veteramentarium habuit. Verum ingenij acumine, cum mire excelleret, Pariſios ſtudiorum gratiâ miſſus, omnium artium cognitione inſtructiſſimus, Theologicis Canoniciſque ſtudijs exercitatiſſimus euaſit. Inde ad varios honores expetitus, præter omnem ex humili emergentium conſuetudinem, honorum omnium contemptu enituit, monachumq; in Monaſterio Foſſæ Nouæ profeſſus, magnæ eruditioni, magnas virtutes addidit, ob eas ad Virdunenſem Cathedram Cænobio extractus, poſtea Ieroſolymorum, ac denique Pontifex maximus renunciatus. Fuit & ipſe cum ante, tum in Pontificatu Pacis Conciliator feliciſſimus, iam olim eo nomine, in Germaniam, Pruſſiam, Pomeraniam, Liuoniam miſſus; de Imperio alijſque Regnis ac Prouincijs meritiſsimus. Idem de propaganda fide plurimum ſollicitus, inſignem contra infideles exercitum Cruce ſignauit, & memorabilem inprimis de ijſdem non ſine Numine, victoriam innumeris penè hoſtium cæſis, retulit, cum Perceuallus eorum Imperator Patrimonio S. Petri iam immineret, in modicæ aquæ tranſitu mirè merſus, neque vſpiam deinceps viſus.

Sed & de Oriente mereri aggreſſus, miſſis Conſtantinopolim ad Imperatorem Legatis, Græcos in fide inſtrui curauit, & à Palæologo Cæſare Orthodoxam fidei Confeſsionẽ, ſibi exhiberi impe-

impetrauit. Obſtrinxit & alijs plurimis beneficijs orbem, quæ inter feſtiuiſsimum illud ſacratiſsimi Corporis Chriſti Feſtum, per vniuerſam Eccleſiam celebrari inſtituit, & immortali in terris comparato nomine, mortalibus valedixit. A. C. 1264. Peruſij vbi exceſſerat in Cathedrali Eccleſia ſepultus.

S. CÆLESTINVS V. PAPA.

SAnctus CÆLESTINVS V. olim Petrus de Morono, ob admirabilem vitæ ſanctitatem ex Abbate Maiellano, cum grauiſsimè in electione diſsiderent Cardinales, à Latino Oſtienſi Epiſcopo nominatus, attonitis ac mox conſentientibus vniuerſis Pontifex ſalutatus, fruſtra deprecatus obnixuſque, è fuga denique admirabili populi ſtudio ac gratulatione retractus, inuitus & mærens ſolemniſsime inauguratus eſt, ad cuius coronationem plus quam ducenta mortalium millia confluxiſſe memorantur. Cuius aſellum, quo ipſo coronationis die, Chriſti exemplo humillimus ſummus Pontifex vſus fuerat, cum impoſitus eidem contractus quidam aſcendiſſet, prodigiosè ſtatim curatus eſt.

Præfuit vix totos quinque menſes, & ne quicquam reclamante Carolo Rege, & Neapolitanis, exemplo ad eam diem inaudito, ſtupentibus vniuerſis, Pontificatu ſe maximo abdicans, manifeſte probauit quam extra ambitionem veri monachi viuerent, quantoque cucullum ſummis honoribus, imo ſummorum honorum ſupremo apici anteferrent. Eum Bonifacius ſucceſſor, metuens ne denuo eligeretur, carceri incluſit, tanto quacunque duceretur populi concurſu facto, eum ſibi Pontificem depoſcentis, vt concubia ſolum nocte iter inſtituendum eſſet. Euolauit ſanctiſsimus captiuus ad immortalia regna, decimo captiuitatis menſe, ob admiranda prodigia, & teſtatiſsimam ſanctitatem Diuorum albo adſcriptus. Cuius ſanctiſsima Ordinis noſtri congregatio, prodigioſæ ſanctitatis viris ad hanc vſque ætatem noſtram, ingens Europæ noſtræ decus conciliauit.

B. BENEDICTVS XII PAPA

BEatus BENEDICTVS XII. olim Iacobus Furnerius, ex Abbate Montis Frigidi S. R. E. Cardinalibus accensus, Pontifex demum Orbis, mirabili præsagio renunciatus, cum animi remiſsione mirè excelleret, ſuccenſens eligentibus, in hæc verba prorupit, *Aſinum elegiſtis.* Verum digniſsimum Chriſti Eccleſia caput electum, ingentibus ſtatim meritis comprobauit, & quod in viſione quadam Epiſcopus quidam cognouerat, velut immundiſsimum ſtabulum, orbem perpurgauit, & quod nemo anteceſſorum auſus eſſet, nihil Reges potentiſsimos, nihil Principes, nihil tot Regnorum Antiſtites reueritus, omnes omnino *COMMENDAS ET COMMENDATARIOS*, alioſque eiuſmodi Titulos è DEI Eccleſia proſcripſit, Auaritiam à Curia Romana mira induſtria orbiſque ſumma gratulatione excluſit, pluralitatē beneficiorum ſuſtulit, Imperio vniuerſo, Galliæ item alijſque Regnis mire conſuluit, Clerum reformauit, Epiſcopos ad explenda veri paſtoris munia compulit, Ordines diuerſos reformauit; populum Romanum, vt ſenatoriam tandem dignitatem, quam diu Regio nomine geſſerant; vt Eccleſiæ auſpicijs ſuſciperent atque adminiſtrarent perſuaſit; Ludouicum Bauarum Imperatorem ad ſaniora reuocare, pacem inter Reges Galliæ, atque Angliæ conciliare plus quam paterno affectu laborauit.

Exercitum prætereа contra Reges Marrochiorum, & Granatæ conſcripſit, & cruce ſignauit, de quibus prodigioſiſſimam victoriam, cæſis captiſque hoſtium quadringentis millibus, retulit. Idem magnus reuera Pontifex fædiſſimam Fratricellorum Hæreſim obtriuit, Simoniacos compeſcuit, & incredibili conſtantia, contra Reges Bohemiæ, & Angliæ pro libertate Eccleſiaſticâ conſurgens, eos à fidelium communione remouit. Ipſe etiam Armeniam ad gremium Eccleſiæ vocauit, Apoſtolos in Tartariam deſtinauit, libertati Eccleſiæ mille modis conſuluit. Obijt vir Sanctiſsimus A. C. 1342. *Reſtitutoris Eccleſiarum* titulum merito indeptus, cum paulo ante mortem, grandi item meritò Pænitentiariæ officium mira induſtria reformaſſet.

CLEMENS VI. PAPA.

CLEMENS VI olim Petrus Rogerij, ex Fiscanensi Abbate, Arelatensis, mox Senonensis, dein Rotomagensis, tum S. R. E. Cardinalis Episcopus, Pontifex deinde Maximus creatus, eam dignitatem summa cum gloria Ordinis, Orbis emolumento dignissimè gessit, nomenque suum immortalibus meritis, ad omnem posteritatem commendauit. Pontifices inprimis successores demeritus, insigne Palatium Pontificium Auenione construxit. Dehinc Imperium Vniuersum iuuare aggressus, Ludouicum Bauarum pessime meritum, frustra commonitum diris deuouit, & Imperio deiecit, aliumque eligi Cæsarem præcepit. Is operâ Clementis electus est Carolus IV. Bullæ Aureæ auctor, vt eius quoque vtilitas ad Clementem nostrum referenda videatur.

Indignum dein ratus Pontifices Romanos alieno in fundo habitare, Auenionensis vrbis Dominium, ab Ioanna Regina dignissima emptione Romanæ Ecclesiæ ditioni addidit, auctoritatique Pontificiæ extero in Regno haud leuiter consuluit.

Pestifera lue totum orbem occupante, cum vix decimus quisque ex mille mortalibus superesset, magna pietatis Christianæ admirandaque opera Clementis nostri erga infectos fuere, vt qui legat, tantam in tanto Pontifice filiorum curam, in pauperes inprimis propensionem, profusionemque, magnopere admiretur. Jllud inter præcipua, Clementis planè maximum celebratur: *IVBILEVM PLENÆ REMISSIONIS* centesimo quoq; anno institutum, ad *QVINQVAGESIMVM* magna omnium fidelium lætitia, atque incomparabili cum vtilitate reduxisse, quod vitæ mortalium communis ferè breuitas, tantæ gratiæ participio plerosque excluderet. Mortuus est lectissimus Ecclesiæ Pastor, & Pauperum pater A. C. 1352. relictis non paucis præstantis ingenij monimentis.

B. VR-

B. VRBANVS V. PAPA.

BEatus VRBANVS V. olim Guilelmus Gabalus à Grisacio, Grimoardo viro inprimis nobili patre, pari nobilitate matre Amphilisia, sanctitatis opinione celebri, in oppido, & Castro paternæ ditionis Grisacio natus est. Omnibus disciplinis instructissimus, cum maximi ab omnibus fieret, cucullum exambijt, quod in Mimatensi amplexus Cænobio, nunquam in omni deinceps vita, nec in summo quidem Orbis Pontificatu exuit. Per viginti postea annos Ius Pontificium, & sacras literas professus, celeberrimus euasit, inde ad varios honores expetitus, Antisiodorensis primum Abbas, mox Diui Victoris Massiliæ ab Innocentio VI. creatus, grauissimis dein pro Ecclesia Legationibus functus, Pontifex demum Maximus, non sine Numine renunciatus est.

Quippe Casinum fortè cum ex Legatione diuerteret, & sanctitate loci captus, Episcopos quosdam *Commendæ* Titulo Archisterio illi incubare plurimum doleret, mirabili quodam impulsu, se voto adstrinxit, siquidem destinatione Numinis Vicariæ Petri vices in terris aliquando sibi obtingerent, oppressionem se loci illico subleuaturum. Dictu mirabile! Delati sibi summi honoris diem eundem fuisse, quo votum hoc vouerat, (quamuis Cardinalis non esset) qui à sacro senatu Legati occurrebant, retulerunt; cuius accepti beneficij non immemor Vrbanus, vix adito honore, depulso Commendatario, ipse Abbatis sibi Casinatis titulum cum Summi Pontificis honore assumpsit, & quatuor annos gessit, quoad sacro loco plenè prospectum esset, & dignus tanta præfectura Antistes circumspiceretur.

De Ecclesia dehinc vniuersa sollicitus, eidem omni modo consuluit, insignique felicitate ac merito, Pontificiam maiestatem, quod nemo antea ausus, tanto tempore exulem Italiæ atque Romæ restituit, & huic antiquum, & princeps decus imò sibi seipsam reddidit. Sedemque vel per Legatos solum, sæpè à tyrannis occupatam, summo omnium cum applausu recepit, Vaticanum Palatium restaurauit ac exornauit, eam ad rem operâ pauperum vsus, quorum octingentos, & mille aliquando

alere

alere consueuerat. Cui gratulaturus felicem, & gloriosissimum ad vrbem reditum Carolus IV. Imperator cum vxore, & liberis, eo ipse aduolauit, ac Stratoris officio exhibito, Sacris operanti Diaconus adstitit. Neque ea solum Occidentis submissione felix noster Vrbanus fuit, sed & Orientis Imperator Ioannes Paleologus, pari demissione, & ipse Romam vsque occurrit, & supplex Vrbano, eam quam Romana docet Ecclesia, fidem, *Et Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, Romanumq; Pontificem, Summum Dominici gregis Pastorē, caput & Magistrū publicè professus est.*

Ad purgandam dein Ecclesiam conuersus Vrbanus, ambitioni fædissimæ Clericorum frænum induxit, *PLVRALITATEM BENEFICIORVM* sustulit, quemq; in Ecclesia propria residere coegit, luxum vestium coercuit. De re litteraria item meritus, alter Bononiensis Vniuersitatis, bellorū cladibus prostratæ, Fundator extitit. Idem rara felicitate, indictis solemni ieiunio, & Litanijs, Principum Apostolorum capita inuenire meruit. Idem sacratæ ceræ vsum *AGNVM DEI* vocant, multis sæculis intermissum, inexplicabili beneficio reuocauit. Idem de plurimis sacris, & nouis Ordinibus optimè meruit, S. Brigittæ nimirum, Sancti Hieronymi, Patrum Iesuatorum, & Montis Oliueti Instituta confirmauit, fouit, & propagauit.

Innumeris denique meritis gloriosus, sancto fine decessit, anno ætatis 61. Christi 1370. vir verè virgineus, Virginem moribus, vultu, vitâ, imo Angelum præseferens, nec ad extremum vsque anhelitum cucullo se suo, & vestibus exspoliari passus, suprema iussione, & voluntate, in suo S. Victoris Cænobio, insigni pompa, & comploratione sepultus, quem insignibus deinceps miraculis Numen honorauit, ita vt de Canonizatione eius non semel ageretur.

GREGORIVS XII. PAPA.

GREGORIVS XII. olim Angelus Corarius, patria Venetus, singulari eruditione, nec non generis nobilitate, sed eximia super omnia vitæ sanctitate commendatissimus, tantis titulis, & ante, & in Pontificatu, sed eo inprimis

primis supra quam explicari possit, de orbe vniuerso, præclarissimè meruit: Cum enim fædissimo, ac perniciosissimo schismate Ecclesia DEI plurimis annis, grandi cum infidelium scandalo, fidelium detrimento, atque plurimorum mortalium exitio, miserandum in modum laceraretur, tribus nimirum de Orbis summo Pontificatu contendentibus; Patribus in Concilio Constantiensi celeberrimo congregatis, diu multumque de tollendâ tam perniciosa vniuersæ Ecclesiæ controuersiâ laborantibus, Gregorius noster vt laboranti matri succurreret, suoque tam illustri exemplo, idem quoque faciendi Ioanni, & BENEDICTO Romanæ sedis peruasoribus auctor esset, supremo & ad quem legitimè vocatus, eo dignissimus, ascenderat, honori renuncians, noui legendi Pontificis copiam fecit Patribus. Tanto magis æternis sæculis illustrissimo insolentis meriti ab exemplo commendandus, quanto difficilius erat (quibusdam de abdicatione eiusdem plausum sibi, ex inuidentia tanti honoris concitantibus, alijs insuper, vt abdicaret vrgentibus) hostibus gratum facere, quam propria sponte abdicare, plurimis, quasi coactus, & velut illegitimus renunciasset, sibi persuadentibus, quem nisi volentem nulla potestas, nulla Concilij auctoritas deturbare potuisset. Fuisse virum præter summam eruditionem sanctissimum, sexcenti tradidere, vnde, & ante Pontificatum summis honoribus perfunctus, primum Episcopus Castellanus, mox Chalcidensis, dehinc Patriarcha Constantinopolitanus, Legatus postea à Bonifacio IX. ad componendos Regni Neapolitani motus, rursum Picena etiam Legatione ornatus, absensq; Cardinalis Tit. S. Marci creatus, demum Consiliorum Papæ intime particeps, eo mortuo magno bonorum plausu in honore successit, eo taliter, vt diximus, postea resignato, multo magis meritus magis gloriosus, quam quisquam deinceps suscepto, & administrato. Creatus est post abdicationem à Concilio S. R. E. Cardinalis Episcopus Tusculanus, Collegijque Apostolici Decanus, ac Piceni perpetuus Legatus, & vitæ reliquum summâ quiete, & sanctitate, felicius multo, quam suprema illa in specula transigens, non multo post, antequam Martinus V. eligeretur valedicens mortalibus ad felicem æternitatem emigrauit,

grauit, dilata eousq; noui capitis, non sine Numinis voluntate, electione, ne Gregorio superstite, etsi abdicato, alius Pontifex eligeretur. Et hos quidem pluribus alijs intermissis, Pontifices Romanos ex Ordine nostro Benedictino assumptos, referre placuit. Prætereo enim quinque Antipapas, qui ex Monachis ad summam Cathedram euecti, non rectè se pro Pontificibus gesserunt: quos de nomine recenset, *Wion libro 2. Cap: 5.* ex quo eosdem allego.

1. *Philippus* Antipapa, monachus Sancti Viti Romæ, A. C. 767. sublimatus, & A. C. 768 priuatus, sedit annum 1. dies 24.

2. *Anastasius III.* monachus Specuensis, sedit dies aliquot.

3. *Benedictus IX.* dictus X. Antipapa, monachus Sancti Anastasij Romæ, A. C. 1058. sedit menses 9. dies 8.

4. *Siluester III.* Farfensis Congr: monachus, intrusus Anno 1102. sedit menses 3. dies 15.

5. *Paschalis III.* Antipapa, natione Vngarus, monachus Strumiensis, Anno Christi 1169 intrusus, sedit annos 7. menses 5.

Prætereo etiam sex illos Pontifices Schismaticos, qui à sede suâ deiecti, Ordinem Benedictinum profiteri coacti sunt, aut eiusdem habitu induti: quos similiter idem Wion libro 2. cap: 6. recenset, atque eorum.

1. *Constantinus II.* A. C. 766 sedit annum 1. men: 1. dies 11. in monasterio Cellæ nouæ reclusus.

2. *Christophorus* Romanus, A. C. 906. sedit menses 7. ad monasterium Casinense detrusus.

3. *Benedictus V.* Rom: A. C. 964 contra Leonem VIII. Hamburgi in Saxonia in monast: tentus.

4. *Albertus Attelanus*, contra Paschalem II. A. C. 1101. menses 4. sedit, coniectus ad Monast: S. Laurentij.

5. *Maginulphus* Rom: contra Paschalem II. A. C. 1102. in schismate creatus, & postea ad Cauense Monast: reclusus.

6. *Gregorius VIII.* Burdinus contra Gelasium II. A. C. 1118. euectus, annis 4 sedit; sed anno Christi 1121. indictione 14. abdicare coactus, in turri Cassinensis Cænobij primum à Calisto II. inclusus, deinde in Cauensi monasterio, vsque ad Eugenij Papæ III. tempora superuixit in monastico habitu.

CARDINALES EX ORDINE SANCTI BENEDICTI

POntificibus porrò eos subijciamus, qui in vniuersalis Ecclesiæ regimine ijsdem dati sunt cooperatores, S. R. E. Cardinales: qui tanquam *Cardines Orbis terræ* 1. Reg: 2. ad Sanctam Ecclesiam sustentandam ex Benedictinis assumpti sunt. Quorum numerus ab Historicis probatæ fidei, ab ipso Sancto Patre Benedicto, adusque Concilium Constantiense dicitur fuisse 184. quibus si adiungantur alij quatuordecim, à tempore dicti Concilij ad hæc vsque nostra tempora creati, omnino resurget numerus à Genebrardo proditus lib: 3. Chronologiæ, Cardinalium videlicet ex Ordine Sancti Benedicti ferè ducentorum numerum surrexisse.

ORDINIS BENEDICTINI SECVNDVS FRVCTVS,

Aliarum Ecclesiarum gubernatio.

VT iam ad particularium Ecclesiarum gubernationem descendamus, illi recensendi sunt, qui iuxta Ezdræ sacrum oraculum *lib*: 2. *c*. 12 fuerunt, *Principes sacerdotum & fratres eorum in diebus suis*. Patriarchæ, scilicet, Archiepiscopi & Episcopi.

Patriarcharum verò numerus fuisse refertur quinquaginta.

Archiepiscoporum autem mille quingentorum & sexaginta quatuor, siue vt alij legunt, mille sexcentorum; quod ex Trithemio, Sabellico, Volaterano, Genebrardo, & Plato, Wionus recipiendum putat *lib* 2. *c*. 11.

Epi-

Episcopos porrò ex Ordine nostro assumptos, idem Wionus, attentâ Historicorum fide asserit euasisse quatuor millia & eò amplius: qui gubernaculis Ecclesiarum applicati, miro modo easdem decorarunt, & Ordini immortale conciliarunt decus. Vera siquidem illa Domini est sententia, Math: 5. & in Ordine Benedictino completa: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita; & nemo accendit lucernam, vt abscondat eam sub modio, sed super candelabrum ponat, vt luceat domum intrantibus. Non latuit,* inquit Trithem: de viris illust: Ordin: S. Bened: lib: 1. c. 5. *Non latuit Ordo Sancti* B*ENEDICTI sub modio abiectionis & obliuionis, sed supra candelabrum Ecclesiæ exaltatus est, vt doctrinæ & sanctitatis lumen, eius præberet fidelibus. Vnde mox ab exordio plantationis suæ, multipliciter in Ecclesia* D*EI meruit exaltari, dum populi quique fideles, de grege Benedicti Patris Ecclesiarum suarum maximopere sibi eligerent sacerdotes. Quænam Ecclesia non summis tunc optasset desiderijs de Ordine tanti Patris habere Pastorem, in quo Christianæ religionis amor viguit, sacræ scientiæ lumen effulsit, honestas morum resplenduit? factum est itaque, vt multi fratres ex hoc Ordine ad diuersas Ecclesiarum dignitates vocarentur: aliqui propter eximiam sanctitatem, aliqui verò propter sacræ doctrinæ excellentiam, nonnulli ob singularem agendorum industriam, quidam etiam propter generis claritatem: omnes autem ob regularis vitæ disciplinam. In omnibus enim amor religionis monasticæ, miro populum modo in sacerdotibus afficiebat.* Hæc Trithemius, de mirabili nostri Ordinis antiquitus profectu. Verum & hoc sæculo nequam quo viuimus, & præsenti ætate quâ hæc scribimus, plerique ex Ordine nostro doctrinâ & merito excellentes viri, ad regimen Ecclesiarum primariarum assumpti, ab antiquis monachis, infulâ, sanctitate & doctrinâ celeberrimis, nequaquam degenerarunt.

E maximis Theologis Benedictinæ palæstræ, circa annum Domini 1633. eluxit venerandæ memoriæ vir *Antonius de Perez,* ex Abbate Vallisoletano, Vrgellitanus inprimis Pontifex, demum pro meritis meritissimus & illustrissimus Archiepiscopus Tarraconensis: cuius extant Theologica multa scripta, quæ summo rei literariæ bono & scholasticæ Theologiæ, quam ex celeberrimis in Hispania Cathedris miro omnium applausu ex-

posuit, typis orbi sunt communicata.

Eâdem pariter ætate, nimirum anno 1635. *Antonius Wolfrad,* eiusdem cum Perez nominis & gloriæ, Cremiphanensis monasterij in Austriâ superiore Abbas, magni nominis & prudentiæ exactissimæ homo, à Ferdinando II. Imperatore, impensius dilectus admotusque Consilio Intimo, & Cameræ Imperiali præpositus, pro amplissimis & fidelissimis obsequijs Viennensium Episcopus & S. R. Imp. Princeps constitutus, summos inter Proceres Imperij auctoritate maximè eminebat. Qui, vti in publicis Germaniæ munijs, & Cæsaris commodis, è fide religiosâ & innatâ prudentiâ dextrè procurandis, commendatione ipsius Augusti Cæsaris & Procerum plausu versabatur; ita officium Præsulis vigilantissimi laudabiliter exequebatur.

Insignis quoque Antistes *D. Iosephus de la Zerda* Hispanus, monachus Benedictinus, olim in Salmaticensi Academiâ primùm Cathedræ S. Thomæ, deinde primariæ Theologiæ moderator, postea anno Domini 1644. Almeriensis Episcopus, nunc Pacensis: cuius sine suffragio temporis priscum acumen, cuius sine commendatione antiquitatis, pristinam facundiam, grauissimi admirantur Doctores: qui Vtrâque gloriâ in suis operibus editis potitus est, & sensus & sermonis; cum inter verba splendida sublimis fulgeat sensus, & sermo splendeat acumine & sententijs: quem aliqui Magni Tostati Abulensis Episcopi, & in scribendo vbertatem celeritatemque, & in differendo profunditatem, omniumque disciplinarum comprehensionem, cum fœnore tamen politioris styli, nam in hoc, & elegantiarum delicijs, Gigantem illum, Tostatum scilicet superasse contendunt.

Jllustr. præterea *Caramuel Lobkowitz,* carissimum Phœbo Musisque caput, & Theologorum huius sæculi Primas, agit Episcopum Campaniæ in Italiâ, & Ecclesiam DEI ornat, & gloriæ Benedictinæ lumen addit: in quo encomia coniuncta sunt, & honestissimæ vitæ & incomparandæ eruditionis: per quem edita iustæ magnitudinis non pauca volumina consūmatissimæ limæ, non in secessu aut vmbra sed inter multiplices curas; & quia memoria & ingenio pollet admirabili, adiuuatque naturam totus in legendo & scribendo positus, omnem omnium

ingen-

ingeniorum lucem collectam in se continere videtur: adeò, vt qui libros ab eo compositos legunt, plura ab illo doceri vident, quam quæ ab homine sciri posse credidissent.

Jam verò quid de Reuerendissimo & Celsissimo Domino Matthæo Ferdinando à Bilemberg Archiepiscopo Pragensi, Principe, Legato nato, inclyti Bòëmiæ regni Primate, Cæsareæ Regiæque Maiestatis Consiliario, dicam; qui anno Christi 1638. Ordinem S. BENEDICTI professus, post aliquot annos in eo laudabiliter peractos, Abbas Sancti Nicolai Pragæ ordinatus, pro meritis demum Episcopus Regino Hradecensis anno 1659. consecratus, & tandem anno 1668. Archiepiscopus Pragensis electus, Benedictini nominis gloriam imprælentiorum adauget. In quo seruatum non solum, sed restitutum, sed & propagatum, imò & auctum primæ gloriæ amplissimi Ordinis antiquissimum decus & splendorem, Ordini inprimis nostro, dein Bòëmiæ, Orbi denique terrarum vniuerso gratulamur.

Multi præterea alij in viuis adhuc positi Antistites reperiri in diuersis Prouincijs possent, qui ex Ordine nostro ad infulas vocati, in numerum superius allatum non veniunt; cum Ordo Benedictinus per DEI gratiam in varijs Prouincijs insigniter nunc effloreat, & plerique monachi ex eo moribus & conuersatione præstantes, atque scientiâ scripturarum illustres, Præsuleo honore & mitris insigniuntur. Quanquam non propterea felicem Ordinem nostrum asseruerim, quod sublimes personas in throno Pontificio & Cathedris Episcopalibus, sicuti olim ita & moderno tempore consìdentes habeat, sed felicem & gloriosum ex eo affirmo, quod annis iam mille & ferè ducentis, professores eius semper & merito sanctitatis & doctrinarum eruditione Orbi illucescant.

Omnes autem isti Archipræsules & Præsules è Cænobijs protracti, & positi supra candelabrum Ecclesiæ, quantum alijs hominibus profuerint & quas vtilitates Catholicæ Religioni attulerint, vix oratione consequi datur. Ab his enim maximè profluxit qui ordine sequitur.

ORDINIS BENEDICTINI
TERTIVS FRVCTVS,
Gentium conuersio.

DVces ac Præceptores Gentium, magnos Ordinis noſtri Apoſtolos, *qui directi ſunt diuinitus in pœnitentiam gentis & tulerunt abominationes impietatis*, prolixo ſermone commemorare neceſſum foret; ſed compendio vtentes, eorum nomina & Regnorum ſiue Prouinciarum, quibus fidei lumen intulerunt, annotaſſe ſuffecerit. Quem verò delectat penitius cognoſcere, quæ magnalia per eoſdem diuina bonitas effecit, citatos à noſtro Wiono Hiſtoricos, & Bucelini Annales & Menologium Benedictinum adeat.

Anno igitur Domini 596. *Auguſtinus*, alijque S. Gregorij diſcipuli in Angliam miſſi, Reges, Gentemque ad fidem conuerterunt; totamque regionem monaſterijs repleuerunt, quæ magnâ parte Metropolitanæ, & Cathedrales Eccleſiæ fuerunt, quarum Præſules & Canonici aliquot ſæculis non alij quàm *Benedictini* Abbates & Monachi fuiſſe reperiuntur. Hi porrò Chriſto plures lucrifacientes diſcipulos, Euangelij lumen per totum Septemtrionem ſparſerunt.

Nam anno 683. S. *Chilianus* in Franconiam, ſiue Orientalem Franciam à Conone Papâ miſſus, Ducem, Gentemque ad fidem adduxit. Circa eadem tempora duo *Euualdi* Weſtphaliam Chriſto & Eccleſiæ acquiſierunt, Martyrio coronati anno 693. *S. Lambertus* Tungrorum Epiſcopus Taxandros, ſiue Kempinienſes à Gentilitatis errore reuocauit, Martyrij palmâ donatus anno 698.

Quid verò dicemus de *S. Bonifacio* Moguntino Epiſcopo & Martyre?

Quo Duce Germanis pietas ſe vera, fideſque
Inſinuans, cœpit ritus abolere profanos.

Hic enim totius ferè Germaniæ, & Friſiæ Apoſtolus, Martyrij

tyrij gloriâ Apostolatus munus cumulauit, anno Christi 754. Ex eodem nostro Ordine *S. Stephanus* Vpsalensis Episcopus, Sueciæ & Helsingæ Apostolus extitit, Martyrio affectus anno 850. *S. Wigbertus* Sorabos, siue Frisio Saxones ad fidei confessionem adduxit. Vti etiam *S. Abbo* Vascones conuertit.

Sanctus verò *Adalbertus* Gnesnensis Archiepiscopus, in Bôëmiâ, Vngariâ, Poloniâ, Prussiâ, sacræ fidei cultum plantauit, & continuis prædicationibus rigauit. Eodem tempore, ex monasterio Sancti Alexij Romæ eductus *s. Bonifacius*, primus Bosnensis Archiepiscopus, Hunnorum, Slauorum, & Russorum Apostolus fuit, Sanctus verò *Gerardus* Vngaros in Pannoniâ Euangelicâ luce illustrauit. *S. Bruno* Ruthenorum Archiepiscopus Prussos & Liuones, Sarmatiæ populos sacro Baptismate tinxit, atque ipse, vt etiam præcedentes quatuor, Apostolatus gloriam etiam Martyrij laureâ condecorarunt.

Longum porrò foret alios omnes Apostolos nominatim suis elogijs exprimere; quare vt de Confessoribus Apostolis confertim dicamus, *S. Chilenus* Atrebatenses; *S. Willibrordus* Frisios; *S. Amandus* Brabantos, Flandros, Sclauos & Vascones; *Vulfrannus* item Frisones; *Wilfridus* Hollandos ad fidem adduxit. Franconiam secundo *Willehadus* Bremensis Episcopus Christo adiunxit. Frisijs, Hollandis, Saxonibus *S. Wilbertus*; Suecis, Gothis, & Aquilonaribus *S. Ansgarius*; *S. Ludgerus* Saxonibus, & Frisijs Orientalibus; *S. Vicelinus* Wandalis & Slauis. *S. Lebuinus* Transisselanis; *S. Wimo* Gothis Aquilonaribus. *S. Otto* Bambergensis Episcopus, Pomeranis in Sarmatia Euangelium Christi annuntiauit.

In hisce Regionibus Christo iam subiugatis passim Monasteria, velut spiritualia militum Christi fortalitia, excitarunt, in quibus ad tuendam, ampliusque propagandam fidem monachorum præsidia collocarunt.

Postremo loco adijciendus hic est *D. Bueillus*, qui penetrans inferiores partes terræ, *Antipodum* siue noui orbis, & Americæ Apostolus primus fuit. Ob singularem sanctitatem, & admirabilem doctrinam, Indiarum Archiepiscopus & Patriarcha, Summique Pontificis Vicarius apud illas regiones constitutus anno

Domini 1493. sub Alexandro sexto. *In Brasilia* quoque Benedictinorũ Monachorum exstrui cæpere cænobia, vti testatur *Petrus Iarricus* in Thesauro Rerum Indicarum lib: 1 c. 27.

Inter plurima verò quæ Cænobitarum nostrorum Euangelicam messem consecuta sunt bona, non postremo loco habendum est, quod post illatum Regis Christi Euangelium, populi ad voluntatem magis adducti, oppida & ciuitates ædificare cæperint. Vt enim ex *Strabone, Iulio Cæsare, Tacito, Pomponio Melâ*, & *Hærodiano*, *Bozius* probat, Germani olim & Boreales populi in subterraneis specubus, aut sub frondibus cubabant; cum domos aut ciuitates non haberent, quas tamen magno numero postquam fide Christi imbuti sunt, construxerunt. Illud autem, *ait Bozius lib:* 22. *c.* 6. non pigebit repetere, plerasque Septemtrionis vrbes, iuxta Monasteria conditas, quod à monachis scilicet ad omne bonũ populi olim Boreales inculti & agrestes, instituerentur. Id hæreticus *Munsterus* in descriptione *Lucernæ*, tradit lib: 3 Geograph: *Ciuitas*, inquit, *Lucerna, post Monasterium, & partim ratione monasterij est condita; id quod in multis oppidis quoque videre licet, quæ iuxta monasteria successu temporis succreuerunt, præsertim iuxta monasteria Diui Benedicti.* *Rhenanus*, damnatæ fidei scriptor, lib: 2. rer: Germ: ait, occasione Cænobiorum in Germanicis Prouincijs oppida fieri cæpta, eoque modo *Argentoratum* fuisse restitutum, ædificato prius monasterio, cui cupiebat optimus quisque ædes habere coniunctissimas, itaque ex oppidulo cænobiali (nam cænobium potior pars erat) contractis eò vicis proximis, tandem posteriori tempore esse vrbem constitutam. Eadem ratione, inquit, nunc propius Rhenum visitur *Mâguntiacum* quod olim plusculum distabat. Idem accidisse *Spiræ* conijcio. Hæc ille.

QVARTVS FRVCTVS,
Hæresum extirpatio.

NOn tantum eam in curam Benedictinorum Monachorum pia sollicitudo incubuit, vt fidem plantaret; verum etiam vt euelleret impietatem, opera diaboli destrueret, errores disper-

di sperderet, hæreses dissiparet. Fuit enim Ordo noster fidei fortalitium, sanctæ Ecclesiæ armamentarium, & fortissima turris Dauid, in quâ omnis armatura fortiū. Sæuientibus enì hæresibus, ex nostris extiterunt, qui se opponerent murum pro domo Dei, & vel hæreticos corā confutarent, vel eorū scripta absentes refellerent. Ita *S. Gregorij* industriâ Longobardi in Italiâ; & *S. Leandri* Hispalensis Episcopi, Visigothi in Hispaniâ, ad fidē Catholicam reducti sunt. Ita *Martinus* Dumiensis ab eadē sectâ Sueuos, partē aliquā Hispaniæ incolentes reuocauit. Et an non Benedictini nostri Sacramentariā hæresim in semine suo, & capite Berengario suffocarunt? Cum enim ille vndecimo sæculo cor & animam Religionis nostræ, veritatem dico sacrosanctæ Eucharistiæ, impeteret, an non statim exsurrexerunt nostri, *Fulbertus* eiusdem Berengarij olim Magister, *Lanfrancus*, *Albricus*, *Guitmundus*, *Guido*, alijque? Quid verò de *Paschasio Ratberto* dicemus, qui prophetico spiritu necdum ortam hæresim, tanto tempore ante refutauit? vixit enim anno 880. Quod eodem spiritu etiam fecit *Ratherius* Veronensis primùm, ac deinde Leodiensis Episcopus, qui insuper Antropomorphitarum hæresim extirpauit. *Gilbertus* Porretanus, *Petrus* Bruisius, *Abaelardus*, *Henricus*, & *Arnoldus* de Brixiâ hæretici, à quo refutati sunt, nisi à nostris SS. *Petro* Cluniacensi, & *Bernardo* Clareuallensi Abbatibus? Græcorum errores scriptis confutauit *S. Anselmus*; coram etiam mirâ facundiâ *Humbertus* Cardinalis Michaelem Constantinopolitanum & Leonem Acridanum Episcopos, præsente Imperatore confudit, conuicitque. Albigenses quoque, primos ac præcipuos aduersarios Benedictinos è Cisterciensi familiâ senserunt; vt pluribus refert Abraham Bzouius anno Christi 1199. Lutheranis & Caluinistis, strenuè occurrit doctissimus *Genebrardus* noster, Archiepiscopus ad Aquas Sextias; & vt alios omittam, *Gabriel Gifford* siue *à Sanctâ Mariâ*, ex Benedictino Archiepiscopus Rhemensis, qui suis concionibus Caluinum, eiusque sequaces validissimè oppugnauit.

QVINTVS FRVCTVS,

Schismaticorum reconciliatio.

PAcifici Regis filij ad pacem & vnitatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quos schisma ab illâ diuiserat, reducere semper studuerunt. Quo in genere nostrorum industria maximè enituit. *Petrus* enim *Damiani* Mediolanenses ducentis annis à Romanâ Ecclesiâ abductos, simoniacaque labe, ac Nicolaitarum hæresi infectos, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium gloriosissime reduxit. Et memoratus supra *S, Bernardus*, ingens illud schisma, inter Innocentium secundum, & Anacletum Antipapam, suâ vnius auctoritate & operâ sustulit; Henricum Angliæ Regem Pontifici conciliauit; Galliam ei, omnemque Germaniam coniunxit; vrbem ipsam, totamque Italiam liberauit: Rogerium Siciliæ Regem confutauit, Petri Leonis partes fregit, Guilielmũ Aquitaniæ Ducem, Schismatis defensorem emolliuit, & ad pænitentiam permouit. Idem etiam Mediolanensium schisma contra Ecclesiam sustulit.

SEXTVS FRVCTVS,

Scholarum ac Academiarum institutio.

INter præcipua Reipublicæ Christianæ bona, sine dubio censeri debet Iuuentutis institutio, quæ tanti est, vt beneficio huic Philosophi testati sint, homines vicem reddere non posse. Dequo, ne (quod dici solet) sine die & Consule loquamur, iuuat loquentem introducere nostrum Trithemium in Chron: Hirsaug: anno 890. *Erat,* inquit, *his temporibus in monasterijs nostri Ordinis hæc consuetudo celeberrima, vt Scholæ monachorum in singulis penè Cænobijs haberentur, quibus non sæculares homines, sed Monachi moribus & eruditione præficiebantur nominatissimi: qui non solum in diuinis Scripturis docti essent, verùm etiam in Mathematicâ, Musicâ, Rethoricâ, Poesi, & in cæteris omnibus sæ-*

cularis

cularis litteraturæ scientijs eruditissimi haberentur. Ex his multi non solum in Romanâ linguâ docti erant, sed etiam in Hebraicâ, Græcâ & Arabicâ peritissimi. Quoties autē idoneū ad hanc subeundā Prouinciā in suo Cænobio Monachum Abbas minimè habuisset, de aliquo alio Monasterio petere aptum non erat verecundum. Sic namque doctissimus ille Monachus Gëmblacensis Sigebertus, multo tempore in Cænobio S. Vincentij Metensi, Monachorum præceptor, quamquam de alio monasterio fuit. Ita Strabus monachus Fuldensis in Hirsfeldiâ; Notgerus S. Galli in Stabulaus; Albinus Monachus Anglicus in Fuldâ; Milo S. Amandi in Corbeiâ, atque alij complures in alijs Monasterijs, docendi ad tempus tenuerunt officium, vbi conuersionis primordia non sumpserunt. Hæc autem consuetudo sanctissima primùm in Angliâ cæpit, vbi venerabilis ille monachus & Presbyter Beda Monachorum institutor factus, multos post se doctissimos reliquit discipulos.

Anno quoque 952. idem scribit, in omnibus monasterijs fuisse Scholas literarias, in maioribus autem Cænobijs fuisse generalia studia sacræ scripturæ & aliarum disciplinarum: ad quæ ex alijs monasterijs, tanquam ad vniuersitates, monachi transmitti solerent.

Et sanè Alcuino siue Albino Flacco, Parisiensis Academia originem suam debet, de quo vetus Poëta.

Quid non Alcuino *facunda* Lutetia *debes?*
Instaurare bonas ibi qui fæliciter artes,
Barbariemque procul, solus depellere cæpit.

Oxoniensem vniuersitatem noster Neotus Diaconus fundauit: in quâ tria principio constructa erant collegia. Grammaticis vnum, Philosophis alterum, tertium Theologis. Quatuor alij Monachi *Cantabrigiense* studium excitarunt. *Ticini* siue *Papiæ* in Italiâ vniuersitatem fundauit Ioannes Scotus, Venerabilis Bedæ discipulus. Quorum exemplo Benedictini hodieq; varijs locis è cathedrâ docent. In Hispania Vallisoletani Patres decreuerunt, vt in Congregatione sint tria perpetuò Collegia, in quibus Artes liberales, & Philosophia doceantur, & quartum in quo Theologia. Pro Philosophia designantur, S. Stephani de *Ribas delsil*, S. Iuliani *de Samos*, & S. Mariæ *de Irache*: pro Theologia *S. Vincentij salmanticæ.* Præterea designant duo-

 decim

decim alia monasteria particularia, in quibus Artes & Theologia prælegantur: vt videre est in eorum Constitutionibus Barcinonæ impressis. A Benedictinis quoque regitur *Salisburgensis* in Bauariâ Vniuersitas. *Parisijs* in Galliâ, prælegunt Patres Congregationis S. Mauri: *Duaci* in Flandriâ, & in Ciuitate *Gerardimontensi*, Vedastini, & Missionis Anglicanæ; alijque alibi, vti oculis meis vidi *Cremiphanij, Lambacique* in Austriâ, Braunouiæ in Bóëmiâ, nostros gymnasia erudiendæ sæculari iuuentuti excitasse, & literas humaniores attentius perdocere.

Ex hoc porrò fructu, alij aliquot sequentes prodierunt, atque inprimis.

SEPTIMVS FRVCTVS.

Sacræ Scripturæ Interpretatio.

IN hâc sanè adeò Nostri se indefessos exhibuerunt, vt alijs palmam præripuisse videantur. Dedit enim Ordo noster Sanctæ Matri Ecclesiæ, decem Doctores, qui totam sacram scripturam à capite (quod aiunt) ad calcem, suis lucubrationibus exposuerunt. Quorum primus sit Venerabilis *Beda*. Secundus *Rabanus Maurus*. Tertius *Haymo* Halberstadensis Episcopus. Quartus *Strabo* qui Glossam Ordinariam: & Quintus *Anselmus* Laudunensis qui Interlinearem composuit. Sextus *Rupertus* Tuitiensis. Septimus *Petrus Berchorius*, qui omnia penè scripturæ verba in suo Dictionario moraliter explicat, alteroque libro, Moralitates totius S. Scripturæ plano stylo interpretatur. Octauus *S. Paterius*, ex Sancti Gregorij scriptis excerptiones in omnes veteris & noui Testamenti libros exhibuit. Nonus *Hieronymus Lauretus*, Siluam Allegoriarum ad totius sacræ scripturæ intelligentiam ex SS. Patribus conscripsit. Decimus *Isidorus Clarius*, Brixinensis, Græcè, Hebraicè, Latinèque doctissimus, ex monacho Cassinensi, Episcopus Fulginatensis, Sacra Biblia ad Hebraicam Græcamque veritatem castigauit, & scholijs locupletibus illustrauit: in quo tamen quædam corrigenda ex sententiâ PP. Concilij Tridentini annotata sunt.

Præ-

Prætereo nunc alios clarissimos Doctores, Gregorium Magnum, Alcuinum, Anselmum, Angelomum, Ambrosium, Ansbertum aliosque innumeros in hoc studio diligentissimè versatos. Neque defuit nobis alter Hieronymus, qui Hebraismos, Hebræorumque Chronica, & Rabinorum aliquot tractatus, Latinis auribus daret, *Gilbertus Genebrardus* hæreticorum expugnator acerrimus, & scriptis suis orbi notissimus.

OCTAVVS FRVCTVS.

Iuris Canonici collectio & interpretatio.

VTilem toti Ecclesiæ, ac præsertim, Iurisconsultis operam nauasse Benedictinum Ordinem, nemo non fatebitur, qui considerauerit ab eo profluxisse tot Canonum ac Decretorum collectores, & clarissimos Pontificij Iuris Interpretes. Inter eos autem, qui sacros Canones collegerunt, primo loco Cardinalis Baronius anno 527. ponit, *Dionysium Exiguum*, nostri Ordinis Abbatem. Tertio loco *Martinum Dumiensem* ac Bracarensem Episcopum. His addendus sextus *Sanctus Burchardus*, qui libros viginti, ex SS. Patrũ, Generaliũ Conciliorũ sententijs, ac Pontificum Decretis composuit. Quantus verò fuit *Gratianus*, qui nobile illud opus de *Concordantiâ discordantium Canonum*, siue quod *Decretum* appellatur, compilauit: quo Iuris Canonici professores, præcepto Eugenij III. in scholis vtuntur. Cuius gloriã æmulatus est, *Ioannes* Abbas Niuicellensis, qui præclarum opus, & à nullo alio tentatum, *Bibliæ* scilicet & *Canonum Concordantiam*, posteris reliquit. Quem alius Abbas *Lapus* nomine, secutus est, qui omnium primus *sextum Decretalium*, & *Clementinas* exposuit. His omnino par, vel etiam maior fuit *Nicolaus Tudeschus* Abbas Catanensis & Archiepiscopus *Panormitanus*, & S. R. E. Cardinalis, qui octo Tomis *quinque Decretalium* libros, *Clementinas*, aliaque multa ad Pontificium Ius spectantia explicauit.

NONVS FRVCTVS.
Historiarum conseruatio.

EA fuit Benedictinorum Cænobitarum in annotandis rerum suo, & præcedenti tempore gestarum historijs, diligentia, ea in describendis, vel in epitomen contrahendis priorum chronographorum monumentis fidelitas; vt penes eos veterum Annalium repositorium, & Sanctæ Ecclesiæ Archiuum fuisse videatur. Hinc scilicet prodierunt Chronographiæ & Chronica nostrorum, *Mariani Scoti*, *Hermanni Contracti*, *Regionis Abbatis*, *Lamberti Schafnaburgensis*, *Anastasij Bibliothecarij*, *Sigeberti Gemblacensis*, *Leonis Ostiensis*, *Petri Diaconi*, *Dodechini*, *Roberti Montensis*, *Aimoini*, *Roberti Remensis*, *Ioannis Trithemij*, *Helinandi*, *Matthæi Paris*, *Matthæi Westmonasteriensis*, *Thomæ Walsinghami*, *Witichindi*, *Pauli Langij*, *Genebrardi*, & aliorum plurimorum. Quid, quod pleræque sanctorum vitæ, quas Surius refert, à Benedictinis monachis scriptæ legantur.

Qui verò Martyrologia scripsêre, soli penè Benedictini fuerunt. Venerabilis scilicet *Beda*, *Florus*, *Vsuardus*, *Wandelbertus*, *Ægidius de Dammis*, Addendum denique, quod ad omne disciplinarum genus spectat, tradi à nostro Wiono lib: 2. c. 61. ex historicorum fide, fuisse nostri Ordinis quindecim millia Auctorum, scriptis & eruditione celebrium. Nec silentio prætereundum, à nostris Veterum Patrum monumenta potissimum conseruata esse, quæ vel ipsi, ante exortam typographiam describebant, vel à suis discipulis exarari curabant.

DECIMVS FRVCTVS.
Cultus Deiparæ Virginis propagatus.

SAnctissimam Deiparam Virginem MARIAM præcipuo deuotionis affectu nostri semper & coluerunt, eiusque cultum quantum in ipsis fuit, longè lateque propagarunt. Atque vt Christus Dominus vitæ suæ scriptores quatuor habet

habet Euangelistas, & Ecclesia quam acquisiuit sanguine suo, totidem præcipuos agnoscit Doctores; ita à Benedictino Ordine gloriosa Regina cæli quatuor accepit laudum suarum egregios Præcones, & Doctores verè eximios: *Ildephonsum* Toletanum, *Anselmum* Cantuariensem Archiepiscopos, *Rupertum* Tuitiensem, & *Bernardum* Clareuallensem Abbates, quos vulgò S. MARIÆ Sacellanos nuncupant, & verè pansis velis in eius laudibus deliciosissimè spatiantur.

Nec defuit aliorum nostrorum circa eiusdem Virginis venerationem studium. Atque vt ab Apostolicâ sede incipiamus, *S. Gregorius Magnus* cum solemnes illas supplicationes instituisset, in quibus B. Virginis Imago à S. Lucâ delineata præferebatur, quæ pestem quaquauersum auertebat, cum Angeli Canticum illud, *Regina Cæli lætare &c.* canerent, ipse subiecit: *Ora pro nobis DEUM Alleluia.* Idemque in capite Litaniarum tertiò eam inuocare voluit, creberrimasque stationes ad eius templum instituit. Officium Circumcisionis Domini, siue Octauæ Natiuitatis, cum Collectâ, *Deus qui salutis æternæ,* ad eius honorem composuit.

Bonifacius IV. Deorum templum quod *Pantheon* dicebatur, Deiparæ Virgini omnibusque Martyribus dedicauit: quod inde SANCTA MARIA ad Martyres dictum, nunc ab ædificij formâ, *S. Maria rotunda* nuncupatur. Octauam Assumptionis B. MARIÆ *Leo IV.* instituit. Officium S. MARIÆ in sabbatho, & Præfationem illam, *& te in veneratione Beatæ MARIÆ*, *Vrbanus II.* cui etiam paruum Officium tribuitur; licet alij illud Sancto *Petro Damiani*, itidem Benedictino adscribendum putent. Eiusdem inuentum est, pulsus matutinus & vespertinus, in honorem Virginis Matris, quem restituit, ac meridiano pulsu auxit *Gregorius IX.* itidem Benedictinus. Abstinentiam à carnibus diebus Sabbathi, in honorem eiusdem Sanctissimæ Virginis *Gregorius VII.* in Ecclesiam introduxit.

Innocentius IV. ad Festum Natiuitatis Beatæ MARIÆ Octauam adiunxit. *S. Ildephonsus* Festum Expectationis B. MARIÆ Virginis, in Hispania instituit: vti *S. Anselmus* Festum Conceptionis: atque alius quidam Abbas *S. Nicolai*, primarius Auctor fuit institutionis Festi Præsentationis S. MARIÆ. Rosarij quoque in-

uentionem, siue Coronæ Marianæ, cuidam *Petro* Monacho Benedictino tribuunt, Pontacus in Chronologia, & Polydorus Vergilius de inuent: rer: lib: 20. c. 2. & ex eis, noster Wion. Quam verò gloriosum est, à nostro *Hermanno contracto* dulcissimam illam Dei genitricis salutationem SALVE REGINA, Ecclesiam, habere, & toties cum gaudio & fructu illi recitare? postremum verò illud epiphonema, *ô clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!* Sanctus Bernardus Spiræ existens adiecit. Idem *Contractus* alteram, quoque Antiphonam *Alma Redemptoris Mater*, Sacratissimæ Virgini merito consecrauit, à quâ ingenium & sapientiam acceperat. Decantatissimum illum in totâ Ecclesiâ Hymnum, *Aue maris stella*, *B. Bernardo* acceptum ferimus.

Admirabilis prorsus est pietatis affectus, quem erga cæli Reginam habuit, aliosque docuit *Sanctus Gerardus* Episcopus Hungarorum, Apostolus & martyr, qui consecratâ in honorem sanctissimæ Virginis pulcherrimâ Ecclesiâ, eius deuotione ita tenebatur, vt ne nominare quidem eam vel audire, sine lachrymarum profusione valeret: & quod maius est, ad eiusdem sacratissimæ Virginis cultum promouendum, per singulas suæ Diæcesis Ecclesias, Sabbatum diem in eius honorem sacrum instituit; & vt eundem omnes sub officio nouem lectionum, sicut in die Assumptionis celebrarent, præcepit: tantamque in animis Hungarorum, ipsiusque Regis pectore, huius Sanctæ Virginis deuotionem excitauit, vt & ipsius Regis familia, totaque Pannonia, *Sanctæ Mariæ familia*, appellata sit: & insuper ab ipsis Hungaris, in quorum ore nomen eius non auditur, sed tantum *Domina*, pro Patrona & protectrice in perpetuum electa. Qui verò de eâ loquens *Dominæ* nomen tacuisset, ei ex Gerardi lege genua illicò flectenda erant, & corpus humi prosternendum. Ad eiusdem Virginis aram thuribulum argenteum collocauit, duosque prouectæ ætatis homines adhibuit, qui perpetuò vigilarent, darentque operam, ne vnquam thimiama deficeret. Ad eamdem cum sacra pompâ & supplicatione post Matutinas & Vespertinas preces veniebat. Nihil vnquam denegauit, quod *Sanctæ Mariæ nomine* peteretur; adeoque vt sontes impunitos dimitteret, si errati veniam Sanctæ Virginis interposito nomine postulassent.

Sanctus

Sanctus Adalbertus etiam, Pragensis primò Episcopus, & postea ad gentes conuertendas digressus, ac Apostolus Slauorum, Gnesnensisque in Poloniá Archiepiscopus, ingenti amoris studio statim à puerò in Matrem Dei ferebatur; cuius deuotionem & sincerum cultum Polonos suos edocuit, eisque Slauonico idiomate de B. V. MARIA Canticum deuotissimum composuit, quod Poloni singulis diebus Dominicis & festis in Ecclesijs suis decantant, & olim ante pugnam cum hostibus initam, quin in ipso quoque conflictu armorum decantare solebant. Seruaturque inter Polonos adhuc, is pietatis Marianæ cultus, quem eis S. Adalbertus noster specialiter commendatū esse voluit, vt omnes castrenses homines & totus fere Equestris ordo, diem Sabbati, abstinendo à coctis cibis, in solo pane & aquâ, per omnem vitam singulis hebdomadis stricte ieiunent, ad honorem Beatissimæ Virginis, cuius patrocinium eo genere afflictionis vltroneæ exambire probantur, & protectionem inter innumera periculorum aduersa efflagitare non cessant.

Quid referam *Iojcionem* Bertinianum Monachum, qui sacratissimum virginis nomen tot Psalmis, quot literas continet, suo exemplo honorandum docuit? quam verò id gratum Virgini Mariæ fuerit, quinque rosæ quæ super demortui faciem inuentæ sunt, & in medio earum aureis literis exaratum, dulce nomen MARIA, satis superque declararunt.

Odiloni quoque Cluniacensi Abbati tanta in Virginem pietas fuit, vt cum in choro psallentium ad illum versum ventum esset, *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum*; sese protinus in terram prosterneret: quod Sanctam Ludgardem quoque fecisse, suumque Confessarium *Thomam Cantipratanum* edocuisse, accepimus.

Solemne item *Cluniacensibus* fuit, quotidie *Sacrum de B. Virgine* decantare; & in Ecclesiâ infirmorum quæ in eius honorem consecrata erat, quotidie *Hora de Dominâ* ab alijs, quam qui in Conuentu publico Horas persoluebant, decantabantur. Ne longior sim, omitto plurium nostrorum Hymnos, Prosas, Cantica, Homilias, aliaque ad Sanctissimæ Virginis honorem excogitata: mira item obsequia à *S. Petro Damiani*, *S. Gertrude*, & *Mehtilde*

alijsque pluribus delata. Hæc autem paulo fusius prosecutus sum, vt Benedictam inter mulieres matrem, à Benedictino Ordine maximi habitam, semperque cultam fuisse, nec posterioribus Ordinibus nostrum hac in parte quidquam cedere, sed exemplo potius præluxisse, ostenderem.

VNDECIMVS FRVCTVS.

Rituum Ecclesiasticorum & Cæremoniarum institutio.

QVod in Regij Prophetæ laudibus positum legimus, Ecclesiast: 47. *Dedit in celebrationibus decus.* Jd ad Ordinem nostrũ non iniuriâ transferre quoque possumus. Nam Sacrosanctum *Missæ sacrificium & Horarum Canonicarum Officium*, eorundemque ritus & cæremoniæ potissimum instituta atque amplificata sunt à *S. Gregorio* qui ex nostro Ordine Pontifex Maximus exstitit. Jlle verò *Introitus*, prout nunc dicitur, *Alleluia*, *Tractus*, *Collectas*, *Orationes secretas*, *Post communionem* composuit; *Offertorium* post Euangelium fecit, & decantari iussit: *Præfationes* plures ordinauit: in Canone verba illa, *Diesque nostros in tuâ pace disponas* &c. apposuit: Orationem Dominicam, cum humili præfatione, *Præceptis salutaribus moniti*, &c. in Missâ dici instituit, & plura alia, quæ in eiusdem Antiphonario & Sacramentorum libro videre est.

Breuiarij totius ordinatio ab eodem facta est, atque ex Beati Benedicti Regulâ sumpsit, vt Horis singulis præponeretur, *Deus in adiutorium meum intende.* Idem ieiunium Aduentus, & Officium Dominicarum eiusdem, Officium item Commemorationis S. Pauli, & Dedicationis Ecclesiæ, Litanias maiores, Stationes ordinauit. Ab eodem habemus piam illam cæremoniam imponendi cineres in capite Ieiunij, Adorationis S. Crucis in die Parasceues, Lotionis pedum in Cæna Domini. Idem Cantum firmum, qui ab eo *Gregorianus* dicitur, in Ecclesiam inuexit, & Cantorum Scholas excitauit. Missæ triginta pro Defunctis, ab eo etiam *Gregorianæ* dictæ, inueniuntur.

Vt verò ad alios progrediamur, *Notkerus* Sangallensis monachus,

nachus, inuenit composuitque Prosas, siue Sequentias, quæ inter Alleluia & Euangelium decantari solent: quas Nicolaus Papa 1. approbauit. *Gregorius IV.* festum Omnium Sanctorum: *Sanctus Odilo* Cluniacensis Abbas Commemorationem Fidelium Defunctorum: *Guido*, ex Generali Abbate Cisterciensis Ordinis, S. R. E. Cardinalis Diaconus, pium ritum pulsandi campanulam ad eleuationem Sacræ Hostiæ, & cum eadem ad infirmos defertur, adinuenit. Hymni, *Vt queant laxis: Paulus Diaconus* Cassinensis monachus auctor fuit. *Theodulphus* Aurelianensis Episcopus, Hymnum, *Gloria, laus & honor* &c. quem in Dominicâ Palmarum Ecclesia canit, itemque & alterum, *Vexilla Regis prodeunt*, composuit. Officium SS. Trinitatis, & Sancti Stephani *Alcuinus* Abbas, Ecclesiæ dedit. Atque alij alia.

DVODECIMVS FRVCTVS.
Rerum vtilium & variarum adinuentio.

VLtimus sic fructus variarum & vtilium rerum, quas nostri vel adinuenerunt, vel illustrarunt fasciculum floridum exhibebit, quorum in superioribus nulla facta mentio. *Michael* igitur Florentinus, Camaldulensis Eremita, Coronam Christi Domini inuenit, quâ triginta tribus Orationibus Dominicis, & quinque salutationibus Angelicis annos vitæ Saluatoris nostri veneramur. Quod salutare inuentum Leo X. diplomate suo confirmauit, & indulgentijs exornauit. *Gerbertus* Archiepiscopus Rhemensis, qui postea Pontifex Maximus *Siluester II.* appellatus, Horologia & Organa hydraulica composuit. Et quamuis de ijs *Vitruuius* lib: 9. c. 9. meminerit, neglectam tamen, & ab hominum memoria absconditam praxim, Siluester in vsum reuocauit: qui etiam plura scripsit de Arithmeticâ, de Sphærâ, & compositione Astrolabij.

Guido Abbas notas Musices, *Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La*, adinuenit: Manum præterea, vt vulgo vocant, per literas flexuris digitorum sinistræ manus adiungere docuit, ex quibus, vt omnes fatentur, facillima reddita est Musicæ institutio.

Dionysius Exiguus, Cyclum Paschalem, & morem computandi annos à Natiuitate Domini nostri Iesv Christi primus excogitauit; quo, duo bona Ecclesiæ inuexit: Primùm, vt memoria Diocletiani tyranni, à cuius principatus initio anni denominabantur, tolleretur, & beneficium Incarnationis menti nostræ obuersaretur.

Ptolomæi Tabulas, totamque Cosmographiam reparauit *Nicolaus de Donis*, monachus Richenbacensis.

At quantus, quæso, fuit *Constantinus Afer*, Sacri montis Cassini monachus, verè *Polyglottos*, qui Hebræam, Syram, Chaldaicam, Græcam, Latinam, Italicam, Persicam, Arabicam, Ægyptiacam, Æthiopicam, & Indicam linguam perfectè nouerat? Hic Grammaticâ, Dialecticâ, Rhetoricâ, Geometria, Mathesi, Astronomia, Musicâ, Physicâque Chaldæorum, Arabum, Persarum, Saracenorum, per triginta nouem annos edoctus, Orientis & Occidentis Magister, nouusque Hypocrates orbi effulsit. Factus enim Cassini Monachus, ex diuersarum Gentium linguis plurima transtulit, ipseque alia ad Medicinam pertinentia conscripsit.

Ciceronianam Eloquentiam *Ioachimus Perionius* imitari studuit, dum quædã Aristotelis & Porphirij, nitido & eleganti stilo, è Græco in Latinam linguam transtulit, & pleraque alia disertè ipse scripsit.

Benedictinæ Prophetides quatuor.

Coronidis loco subijcio, quinque prudentes Virgines, veterum Sybillarum æmulas, ijsque sanctitate longè maiores; *S. Elisabeth* Schonaugiæ Abbatissam. *S. Hildegardem*, *S. Gertrudem*, itidem Abbatissas. *S. Mechtildem*, & *Rosuucidem* Sanctimoniales: quarũ priores quatuor, prophetiæ spiritu, sanctitatis gloriâ, & literarũ monumẽtis clarissimæ fuerũt.

Rosuuidis verò Pòëtria, Græcè & Latinè doctissima, Oratores dicendi arte supergressa, Pòëtarum sui temporis nulli inferior, multa versibus composuit, Virginesque sanctas ad continentiam hortando, Comædias sex composuit, Laudes B. Virginis, & Sanctæ Annæ, aliorumque sanctorum diuerso metri genere.

Quamuis autem gentilis vates Iuuenalis Satyra 6. cecinerit, haud sibi placere fæminam, quæ *curtum sermone rotato.*
Torqueat enthymema.

Nobis tamen hæc, & quæcunque ei similis, meritò videtur eximium Ordinis nostri ornamentum, &
Gloria feminei & decus admirabile sexus.

Duodecim fructuum colligatio & conclusio.

ATque hi sunt Duodecim Fructus amplissimi, quos in Ecclesiæ Paradiso magnâ copiâ attulerunt Benedictinæ arbores, plantatæ secus decursus aquarum, quæ fluunt impetu de Libano; consitæ, inquam, iuxta fluuium Regulæ, qui à S. BENEDICTO Montis Libani nomine designato, impetu quodam descendit, ad cuius humorem arbores hæ radicem mittentes, omnem ab eo vigorem & fructum acceperunt. Vnde de Beatissimo P. N. BENEDICTO Isaias vaticinatus fuisse videri posset, cum ita ait c. 43. 44. 54. 65. diuersis in locis: Ab Oriente adducã semen tuum, & ab Occidente congregabo te. *Effundam spiritum meum super semen tuum, & Benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quasi salices iuxta prater fluentes aquas. Ad dexteram enim, & ad Læuam penetrabis: & Semen tuum gentes hæreditabit, & Ciuitates desertas inhabitabit. Et ponam vniuersos filios tuos, doctos à Domino: & multitudinem pacis filijs tuis. Non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione: quia* SEMEN BENEDICTORVM *est, &* NEPOTES *eorum cum eis.*

APPENDIX
FELICITATIS PRIMÆ.
SIVE
TRANSCENDENS TERMINVS.
In quo, vnum, verum, solum, Bonum, Regulæ, & Ordinis S. BENEDICTI *demonstratur.*

Omni-

OMnium quas hactenus enumerauimus Laudum atque Excellentiarum, hæc vna facile princeps est, quod *Regula S.* BENEDICTI obseruatorem suum rectà ducat, atque etiam introducat ad Regnum Cælorum. Quantùm enim exaltatur cælum à terra, tantùm hæc prærogatiua omnibus alijs antestat. Quid enim aliud est, *Regula S.* BENEDICTI? nisi *spes salutis, arrha gloriæ, pactum æterni fæderis, clauis paradisi, via Regni Cælestis?*

Spes, inquam, *est salutis*, quia ideò nos Regulæ subdidimus, vti in Prologo eius, docet Sanctissimus Legislator: *vt ab ipsius Magisterio nunquam discedentes, & in eius doctrinâ vsque ad mortem in Monasterio perseuerantes, passionibus Christi per patientiam participemus, vt regni eius mereamur esse consortes.* Atque vt recens scriptor Hieron: Plat: *l. 1 de bon: stat: rel: c. 25. ait: Credere ac profiteri quisque de suâ Regulâ* debet, quod eâ ingrediens, & sine errore & cum magno lumine, magnâ etiam & perpetua voluptate, ad immarcessibilem cælestis patriæ voluptatem perueniet. *Arrha est gloriæ, & pactum fæderis æterni*; quia qui Regulam hanc profitentur, cum DEO pactum ineunt; vt pro regulari obseruantia, æternæ vitæ conferat gaudium. Hoc verò pactum DEVS libentissimè admittit. *Omni enim vouenti* DEO, vt ait S. Fulgentius lib: de fide ad Petrum c. 3. *& reddenti quod vouit; ipse quoque* DEVS *reddet Cælestis Regni præmia quæ promisit.* Huius autem promissionis pignus & arrham in sacra Regula nobis exhibuit. *Clauis* deinde *est Paradisi*, huius enim portas, sicuti primorum Parentum transgressio nobis occluserat; ita mandatorum DEI obseruatio, easdem nobis recludit. idque de sua Regula sanctissimus Licurgus noster Casinensis apertè significat, cum ait in Prologo: *Admonitionem pij Patris libenter excipe, & efficaciter comple: vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, à quo per inobedientiæ desidiam recesseras.* Regulæ ergò obedientia, obserata Paradisi ostia reserat atque patefacit. *Via* postremò *est regni cælestis*, quia ad illud rectà ducit. Hæc est enim arcta via, quæ ducit ad vitam. Vndè optimè suos discipulos Beatissimus magister ibidem monuit: *Si quid paululum restrictius, dictante æquitatis ratione, propter emendationem vitiorum, vel conseruationem charitatis processerit; non illicò*

pauore perterritus refugias V I A M *salutis, quæ non est nisi angusto initio incipienda.* Finemque iungens principio, optimè de hac via concludit cap: 73. *Quisquis ergo ad patriam cælestem festinas, hanc minimam inchoationis Regulam descriptam adiuuante Christo perfice.*

Verum, ne verbis tantum quantumuis verissimis hanc cælestis hæreditatis promissionem adstruamus; Cæleste prodigium in medium adferemus, quo Diuinæ bonitati placuit eam omnibus reddere certissimam. Adferemus autem non ex nostra interpretatione, sed eorum, quorum auctoritas in Ecclesia est multò maxima, & sanctitas notissima, sanctorum scilicet Gregorij magni, & Bernardi Abbatis, qui Regulam nostram tanquam scalam in cælum porrectam, per quam Sanctus BENEDICTVS ascendisset, describit: quod eius verbis etsi plusculis hîc describendum duxi. *Humilitatis gradus, ille* Iustorum omnium spiritu plenus, *in Regula suâ tradidit verè per omnia* BENEDICTVS. *Ille enim spiritualem nobis erexit scalam: cuius vtique summitas cælos tangit. quod in eius glorioso transitu euidenti legimus miraculo commendatum, Beato Papâ Gregorio sic scribente. Inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cælum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Quâ scilicet die duobus fratribus, vni longius posito, alteri autem in cellâ commoranti, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque quia strata pallijs, & innumeris corusca lampadibus via, recto Orientis tramite ab eius cellâ in cælum vsque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cernerent inquisiuit. Illi verò se nescire professi sunt. Quibus ille ait: Hæc est via, quâ dilectus Domini Cælum* B E N E D I C T V S *ascendit. Quæ est enim viâ ab eius cellâ prodiens, nisi Ordo quem idem vir Beatus instituit, & forma vitæ quæ ab eo sumpsit exordium? Quâ nimirum viâ Domini dilectus ascendit, quia non potuit vir sanctus aliter docere quàm vixit. Et hæc quidem eorum vel maxima fiducia est, qui ipsius vtcumque student inhærere vestigijs, ipsum præceptorem præuiumque sequuntur. Neque enim venire aliquatenus in dubium potest, quin omninò sacer sit modus conuersationis, & diuinâ magis inspiratione atque consilio, quàm humanâ prudentiâ vel adinuentione formatus, quo nimirum tantam in vitâ gratiam sanctitatis, tantam post obitum gloriam fælicitatis idem verè* B E N E-

DICTVS *obtinuit.* Hactenus Bernardus in declamat. *Ecce nos reliq.* Cuius sermonem luculento testimonio S. Petrus Damiani confirmat, atque hoc nomine fælices Casinenses, adeoq; omnes Benedictinos censens, instar Reginæ Sabæ exclamat *opusc 36. c. 16. Beati qui vobiscum viuunt! Beati qui inter vos, & in sanctis operibus vestris moriuntur! Piâ nimirum fide credendum est, quia scalâ illa, quæ de Cassino monte olim in cælum videbatur erecta, adhuc pallijs strata, lampadibusq; coruscat. Sicut tunc excepit Ducem, ita nunc exercitum transmittit ad cælestia subsequentem: nec ab eius glorioso tramite exorbitant declinantes iam defuncti, cuius dum in hoc exilio viuerent, vestigia sunt secuti.* Hæc ille. Quæ etiam Deipara Virgo MARIA apud S. Brigittam *l. 3. reuel: c. 21.* confirmat, sic loquens: *Cum his ignibus incæpit Religio BENEDICTI, quæ vnumquemque iuxta dispositionem & capacitatem sensus sui dirigebat in viam salutis & æternæ fælicitatis.*

Sed quis vel mente complectatur innumerabilem prorsus numerum Sanctorum militum, qui Ducem secuti per hanc *scalam* ad cælestia tabernacula ascenderunt? De sancto enim BENEDICTO ita cecinit Mantuanus lib: 3. Fastor.

Progenies huius longos imitata per annos,
Acta Patris, diuos auxit, ditauit Olympum,
Ciue nouo, Et alius quidam:
Iste quot indigetes! quot Diuos protulit Ordo!!
Vix fasti capiunt numerum! sunt æthere plures,
Quàm qui Sanctorum sunt in monumenta relati.

Petrus autem Damiani multitudinem Sanctorum ex Ordine Sancti BENEDICTI admiratus, ita ait *homil: 9. de S. BENEDICTO. Solus iste militarem manum Excelsô Principi cæteris abundantius præsentabit, & Monachorum turmis, Angelorum more viuentibus, cælorum adimplebit palatia. Quam igitur refulgens, & splendidus miles astabit Imperatorio tribunali, plenus infinitis virtutibus, agminibus innumeris comitatus?*

Vt autem quæ de innumero penè nostrorum Sanctorum numero tradita accepimus, hîc recenseamus; scribit *Wionus* eum tantum fuisse, vt secundum *Trithemium, millenarium quintum decimum*; iuxta *Petrum Messiam, trigesimum*; secundum alios, *trigesi-*

trigesimum septimum; & iuxta *Petrum Bugianum*, *quinquagesimum* excedere feratur. At Antonio Iepez, numerus quinquaginta quinque millium sanctorum satis exiguus videtur, certoq; credit multò plures omninò fuisse. Quod ne cui fidem excedere videatur, aut per hyperbolen nimiâ exaggeratione dictum, duobus ex capitibus astruere conatur.

Primum, ex multitudine Monasteriorum, quæ noster Ordo obtinuit. De quibus Folengius explanans illum versiculum Psalmi 101. *In conuertendo populos in vnum*; scribit: *Pontificia decreta referunt, vno eodemq; tempore Benedictini instituti fuisse supra septem & triginta millia Cænobiorum, quas Abbatias vocari libuit*. Quibus Antonius de Iepez, putat Prioratus, & Monialium monasteria non connumerata, quorum illi quatuordecim millia, hæ vero quindecim millia aliquando habuerint. Et Genebrardus in suâ Chronologiâ ad annum Domini 524. non longè ab hoc numero recedit. Hanc porrò multitudinem non credit per excessum expressam; tum quia præter Ordinem nostrum aliquot sæculis vix aliquis Ordo in Ecclesiâ viguerit, atque ita omnia Monasteria eiusdem fuerint Ordinis. Vnde in solâ Viennensi Diæcesi, Surius 1. Ian: in vitâ S. Clari Abbatis, refert, sexaginta Cænobia fuisse. Tum quia Ordo per totum mundum propagatus fuit, vt per Apostolos nostros, qui varijs locis Euangelium disseminarunt, passim multiplicata fuerunt Monasteria; quorum alia Cathedralium Ecclesiarum, alia Parochialium loco erant; atque ita nostri multis locis totum Clerum constituerint, omniaque ea obierint munia, quæ iâm vel sæcularis Clerus, vel diuersorum Ordinum Religiosi laudabiliter exercent. Tum etiam quod singulorum Ordinum ac Congregationum sub Regulâ S. BENEDICTI militantium, plurima referantur fuisse Monasteria. Cistercienfium fuerunt quatuor millia Monachorum, & sex millia Monialium Cænobia; quibus si aliarum Congregationum & Ordinum, atque etiam plurima, quæ à nullâ Congregatione dependent, adijciantur; magnum sine dubio numerum effecerint.

Alterum caput statuit noster Chronographus, infinitam quasi monachorum multitudinem, quam partim ex iam dicto Cænobiorum numero, partim ex historijs colligere liceat; atque sine au-

xesi dici posse, fuisse tempus, quo tot fuerint nostri Ordinis monachi, quod iam in omnibus alijs Ordinibus simul sumptis Religiosi numerentur. In Hispaniâ enim in Monasterio S. Petri de *Cardenâ*, reperit fuisse ducentos. In S. Petri de *Arlancâ*, ducentos quadraginta. In Alcobassio, nongentos nonaginta nouem. In Francia, vt ex vita S. Clari Surius refert, in aliquibus monasterijs quingenti, aut sexcenti monachi erant. Vno quoque tempore in sua Claraualle septingentos S. Bernardus habuit. In S. Germani de Pratis, centum viginti nutriri solebant. In Dunensi monasterio, refert Meyerus ad annum Domini 1392. olim fuisse communiter trecentos sexaginta. In monasterio de *Poblet*, in Catalaunia, vsque ad quingentos. In Luxouiensi Abbatia, tempore S. Columbani erant treccenti, & tempore S. Eustasij sexcenti. In Gemmetico, teste Meyero, erant nongenti ad chorum professi, vltra mille quingentos laicos. In Fuldensi monasterio, exceptis Conuersis, ijsque qui diuinis officijs destinabantur, quadringenti Monachi studiosi residebant. In Benchorensi Monasterio, vt S. *Bernard⁹ in vitâ* S. Malach: refert, tria millia Monachorũ exstiterũt, qui succedentib⁹ sibi vicissim choris continuarẽt solemnia Diuinorũ; ita vt ne momentũ quidẽ diei ac noctis vacarẽt à laudib⁹: qui psallendi modus *laus perennis* dictus est, & in pluribus Ordinis nostri locis vsitatus, nominatim in Agaunensi, quod S. Mauritij dicitur, & S. Medardi.

Neque exiguus fuit Monialium numerus. Lugduni enim *S. Salaberga* sub se habuit *trecentas*. *S. Flora* Parisijs *totidem* vt auctor est S. Antonin⁹: super quo inspici poterit Suri⁹ ad diem 27. septembris. In monasterio *Wimbum*, *quingentæ* erant: & S. *Florentia* sanctorum Leandri & Isidori soror, præerat *mille Sanctimonialibus*, in quadraginta monasteria distributis.

Ex his porrò duobus capitibus colligi vult immensum sanctorum numerum, cum magna passim viguerit sanctitas: quod si in singulis monasterijs vnus atque alter tantum fuisset sanctus; vel sic magnus conficeretur numerus. Quid igitur dicendum erit, cum aliqua centurias aliquot, & chiliades sanctorum dederint?

Sacrum enim *Cassinense* monasterium quinquies mille, quingentos & quinquaginta quinque, sanctorum numero adscriptos computat, vt antiqui versus indicant. *Must.*

Mitis, & inuicte, Christi verna BENEDICTE,
In Cælo sisti, tot Fratres promeruisti;
Quingentos, quinque, quingenos, millia quinque,
Ad te translatos, prius omnes canonizatos.

His porrò iungamus Monachos *nongentos* in Benchorensi Cænobio à Pictis occisos fuisse,; alios item *nongentos* à Danis in Gemeticensi; *mille* & amplius iterum à Danis in Anglia, cum sancta Leofrona Abbatissa; Turonis à Normanis *centum & sedecim*; Floriaci *sexaginta*; Messanæ vsque tertiò à Piratis, & Lerini ab infidelibus, in S. Vincentio propè Vulturnum à Saracenis, Nonantulæ ab Hungaris, & alijs in Cænobijs, tam virorum, quàm mulierum, in diuersis Prouincijs & Regnis consistentibus, vti legimus de Monasterio S. Martini in Pannoniâ, & Sanctæ Crucis montis calui, cæterisque Cænobijs in Polonia; infinitos ferè per Martyrij gloriam ad cælos euolasse. Etiam dictum Gemeticum vno die *quadringentos quinquaginta* Confessores cælo dedit, quæ res valdè admirabilis legi potest apud Suriũ 15. sept. in vita S. Aicardi.

Hisce demum si annumerentur Pontifices, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Monachi, Sanctimoniales & Conuersi, in numerum sanctorum sub Confessorum nomine relati; quis non videat facile ad eum numerum summam peruenturam, quem noster Historicus assignauit. Sed de toto numero nil certius affirmari posse arbitror, quàm si cum discipulo, quem diligebat IESVS, dixerimus esse *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, nisi ille, *cui soli cognitus est numerus electorum in æternâ fælicitate locandus*, qui omnium nomina in libro vitæ descripta tenet, & *qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

Atque hæc quæ de sanctorum Ordinis nostri multitudine hactenus dicta sunt, non eò tantum faciunt, vt Ordinis splendorem magnifice commendent; sed insuper magnæ omnibus in eo degentibus consolationi sunt, quod animaduertant se sub ea Regula DEO militare, per cuius obseruantiam tam innumerabiles cætus æternæ gloriæ hæreditatem adepti sunt. Quin & illud accedit, quod tot vitæ spiritualis habeant Duces ac spirantes Monasticæ pietatis imagines, tot item apud DEVM Patronos & Intercessores, quot eiusdem secum professionis in cælo regnantes sanctos venerantur ac colunt.

AD SANCTVM PATREM BENEDICTVM.

Apostrophe.

O Sancte Monachorum Patriarcha & Dux BENEDICTE, cui Dominus tantam gratiam conferre dignatus est, vt licet te, toto vitæ tuæ curriculo, innumeris coruscare fecerit miraculis, tamen super omnia, Regula quã conscripsisti, admirandã DEI Optimi Max: bonitatem, liberalitatemq; prædicet, quia meram miramq; sanctitatem spirat, paucisq; omnino verbis omnem complectitur Euangelicæ summã perfectionis. Incredibile memoratu est, quantis tuam Regulam Romani Pontifices laudum præconijs exornârint, confirmarintq;. Hanc eamdẽ multæ, variæque Religiosorum tam monachorum quam militũ familiæ, profitentur. Innumera visuntur in Europâ passim fundata sacri huiusce tui Ordinis Monasteria, in quib⁹ eximia planè sanctitas & eruditio floruêre; ex hisce, velut equo quodam Troiano, innumeri prodière Herôes, sanctissimi Abbates, sapientissimi Catholicæ Ecclesiæ Præsules, eminentissimi Cardinales, Summiq; Pontifices, qui prudentissimè multos annos Apostolicæ nauiculæ gubernacula moderati, admiranda totius Orbis Christiani fuêre lumina, atq; columina. Quamobrem mirum non est, multos Duces, Principes, Reges & Imperatores, suis coronis, sceptris, regnis, ac fascibus abdicatos, purpuram ac paludamentum exutos, defloccatã, cẽtũculatã, depexã lacernulam, ciliciniũque sagũ indutos, omnẽ mundi vanitatẽ calcasse; nouã, te Duce, sub religiosæ Crucis vexillo, militiam, tantâ submissione, modestiâq; militasse. Atque hæc omnia ad tuam inclytam laudem spectant, hæc tua continent encomia, hæc tuas virtutes deprædicant, hæc tua merita commendant, hæc tuam augent famam; hæc quantâ nunc inter Cælites beatissimæ immortalitatis, & gloriæ coronâ redimitus emineas,

satis

satis abundeque indicant; hæc quantum Tibi, quantum tuo etiã sacro, quem fundasti Ordini, pietatis & amoris affectum debeant vniuersi fideles, significant; hæc denique suauiter nos inuitant ad imitanda, quàm diligentissimè, vestigia tua, qui viuè adeò studuisti imitari, tibique demereri Christũ, qui sanctissimis integerrimæ vitæ exemplis, & sapientissimis doctrinæ tuæ præceptis tot cælestes sanctissimorum Heroum turmas, generosissimas tot lectissimarũ Virginum, fortissimarumq; viraginum, immò Christianarum Amazonum phalanges suauiter in tua vestigia coëgisti, coactasque amabilissimo religiosæ seruitutis iugo mancipasti. Faxit ille DEVS ter Optimus Maximus, vt sanctissima tua æmulati vestigia, supernæ municipes vrbis, perenni quoque beatissimæ immortalitatis gloriâ potiamur, dicaturque nobis, in extremo illo iudicio: *venite Benedicti*, tunc enim omnes saluandi Benedicti fient.



INDEX TOTIVS OPERIS, tam verborum quàm rerum.

A.



ABacuc momento in Chaldæam ex Iudæâ translatus fuit. 94.

S Adalberti Gnesnen: Archiepisc: deuotio in Deiparam virginem. 209.

S. Adeodatus PP. ex Ordine Sancti Benedicti. 149.

S. Agatho PP. ex Ord: S. Bened: fidem egregiè propagat. 150.

Alapa fugatus dæmon, 107.

Albertus in Schismate Papa. 195.

Alexander III. PP. quatuor bestias Antipontifices profligat. 183.

Alexander IV. Pp. ex sanguine S. P. N. Benedicti, vere fuit pater pauperum & amator litteratorum. 187.

S. Amatus exemplo S Benedicti in specu abditus resedit. 8.

Ana-

Anastasius III. Antipapa. 195.
Anastasius IV, Papa egregio vitæ exemplo plurimum prodest. 182.
Anathematis sacri vis. 95.
Angeli comites in viâ S. Ben: 63.
S. Antonini elogium de S. Ben: 140.
Antonius Perez Archiep: Tarrac: 197.
Apollo Cassini cultus 63. destruitur eius idolum à S. Benedicto ibid.
Archiepiscopi ex Bened: quot? 196.

B.

Baronij Cardin: Elogium de Ordine Sancti Benedicti, 138.
Bellisarij calamitas. 143.

Sanctus Benedictus.

S. Benedicto gloria accedit à Gregorio Magno vitæ eius scriptore. 2. vita S. Benedicti vtilis est. 5. quia moralem doctrinam firmat. 6. hæreses confutat. 9. Nursiæ nascitur S. Benedictus. 16 ex eius ortu magna lux mundo accessit. 17. Romæ studet. 18. studia deserit. 19. eius in pueritiâ maturitas. ibid. capisterium redintegrat. 20. nutricem fugit & Sublacum petit. 21. Habitu monastico donatur à Romano. 27. A sacerdote inuisitur. 30. Diuinis intentus Pascha ignorat. 31. Pastores in fide instruit. 33. Tentationem carnis superat in vepreto. 34. eligitur in Abbatem. 41. veneno appetitur, sed crucis signo vas venenatum frangit. 43 discolos monachos relinquit. ibid. Cœnobia duodecim erigit. 46. Patricios Romanos suscipit, & eorum filios. 47. monachum vagum virgâ cædit & emendat. 49. fontem è rupe elicit. 51. ferrum ex aquis educit. 53. Agnoscit S. Placidum lapsum in aquas, mittit Maurum, adscribit miraculum discipuli obedientiæ. 54. recipit panem veneno infectum à Florentio missum. 58. imperat coruo vt deferat in locum incognitum 58. declinat Florentij persecutionẽ. 59. illacrymatur morti eiusdem. ibid. Maurum exultantem castigat. ibid. omnium Iustorum spiritu plenus. 58. petit Cassinum. 62. comites habet Angelos & coruos 63. Cassini destruit idolatriam. 63. construit oratoria S. Ioanni & S. Martino. 63 diabolum corporaliter videt frementem & sibi aduersantem. 63. quid egerit Cassinum appulsus 64. oratione à saxo dæmonem depellit. 6[illegible]. phantasticum incendium detegit. 66. puerum à pariete confractum sanat. 68. claret prophetico spiritu. 70. & 71. Totilæ Regis simulationẽ detegit. 73. ipsum increpat & emendat. 76. Episcopo Canusino quæ de Româ prædixerit. 79. sanat clericum dæmoniacum. 81. conscius diuinorum secretorum. 82. Cassini euersione prædictâ impetrat à Deo animas. 84. furtum flasconis cognoscit. 86. mittit suos ad concionandum. 87. videt monachum recipere mappulas sine licentiâ, 88. videt super-

superbam monachi cogitationem 89. fratres in magnâ fame consolatur, & Dei opem spondet 91. absens dormientibus designat loca ædificando Cænobio. 93. minatur monialibus loquacibus excommunicationem. 96. monachum inconstantem discedere iubet. 100. Elephanticum sanat 102. subuenit debitis grauato. 102. sanat veneno infectum. 103. dat omnia pauperibus. 103. castigat cellarium parcum, & inobedientem 105. oleum precibus impetrat. 106. alapâ dæmonem pellit. 107. ligatum rusticum soluit, & Gothum corripit 110. infantem mortuum resuscitat. 114. colloquitur cum Scholasticâ sorore. 115. non solus. 116. videt mortuam sororem in cælum ferri. 119. sepulchro suo eam inferi curat. 119. mundum sub solis radio contemplatur. 121. videt Germani Episcopi animam in cælum deferri. 122. Regulam scribit. 122. præuidet & prædicit obitum suum. 123. sanctissimè moritur stans. 124. mulier amens in eius specu sanatur. 126. ab omnibus creaturis datur Benedicto laus. 127. vitæ S. Benedicti Synopsis. 130.

Benedictini.

Benedictini quantoperè meruerint de vniuerso. 135. Ecclesiam Dei quamdiu gubernarint. 142. quot fuerint ex ipsis, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi. 143. 196. Gentium Apostoli. 200. Hæreticos confutarunt. 203. Schismata sustulerunt. 204. Scholas & Academias instituerunt. 205. totam scripturam sunt interpretati 206. Ius Canonicum collegerunt & exposuerunt. 207. Historias conseruarunt & literas. 208. Cultum Deiparæ propagarunt. 209. & 210. Cæremonias & ritus pios inuenerunt. 212. alia vtilia adinuenerunt vel illustrarunt. 213. ex Benedictinis quot sancti euaserint? 218. quantus numerus Benedictinorum Monasteriorum. 218. De Ordine Benedictino elogium Baronij. 138. Benedictinæ Prophetides quatuor. 214.

S. Benedictus I. Papa ex Ordine S. Benedicti fame Italiam liberat. 144

S. Benedictus II. Papa, meretur titulum Admirabilis. 151. maximi fit à Cæsare ibid.

Bened: V. in Schismate Papa. 195.

Bened: IX. Antipapa. 195.

B. Bened: XII Pp. Commendas & Commendatarios tollit. 190.

S. Bonifacius IV. Papa, honorem Deiparæ promouet. 148.

Bonifacius V. Papa, vir Apostolicus. 149.

Bueillus primus Americæ Apostolus ex Benedictinis. 201.

C.

S. Cælestinus V. Papa, sanctitatis mirificum exemplar. 189.

Calistus II. Papa præuidet Pontificatum,

catum, & illustria encomia ex eo retulit. 180.
Cardinales Benedictini quot. 196.
Cassinense monasteriũ manibus construitur monachorum. 64. destruitur ... Longobardis. 84. habuit sanctra monachos, quinque millia quingentos quinquaginta quinque. 217.
Christophorus in Schismate Pp. 195.
Clemens VI. Papa ex Ordine S. Bened: auctor Iubilæi. 191.
Clericus dæmoniacus à S. Benedicto sanatur. 80. interdicit illi carnes & Ordinum susceptionem 81. rursus ob hæc neglecta corripitur. 82.
Columbæ speciem anima S. Scholasticæ prætulit. 119.
Constantinus Afer monachus Cassinen: polyglottos. 214.
Constantinus II. in Schismate Papa. 195.
Coruus alitus à S. Bened: 57. iussus venenatum aufert panem ibid corui comitantur iter agentem sanctum Benedictum. 62.
Contentio amica inter S. Benedictum & S. Maurum dirimitur à S. Placido. 54.

D.

Dæmon.

Dæmon tintinnabulum frangit 22. in specie auis merulæ accendit sanctum in libidinem. 35. monachũ abducit ab oratione. 49. S. Benedictum & discipulos eius oppugnat 59. lapidi insidet & immobilem reddit. 65. excitat phantasticum incendium. 66. ruinâ parietis monachum conterit. 68. apparet Benedicto in forma medici mulo insidentis. 108. varias formas induit. 109. alapâ fugatur. 107.

E.

Energumenum S. Bened: liberat. 82.
Episcoporũ magnus numerus ex Ordine Sancti Benedicti 197
B. Eugenius III. Papa, bello sacro plurimum meretur, qui & Armenos Ecclesiæ lucratus est. 181.
Excommunicationis metuẽda vis. 95.
Exemplorum magna vtilitas. 5.

F.

Fames ingens in Italia. 91. & 105.
Farinæ ducenti modij ante cellam inuenti. 61.
Florentius inuidet S. Benedicto. 56. mittit ei panem venenatum 57. impudicis choreis discipulos eius perdere nititur. ibid.
Fons è rupe manat precibus sancti Benedicti. 51.

G.

Gabriel Gifford ex Mon: Archiep. Rhemen. 203.
Galla monachos & clericos persequitur. 110 rusticum affligit. ibid.
S. Gelasius II. Papa initiat Pontificatum

catum proprio sanguine, 179.
S. Germanus Episc: visus à S. Benedicto in cælum ferri. 121.
Gothus à S. Bened: recipitur. 52.
vepres exscindens ferrum perdit. 53.
S. Gregorius I. Papa Magnus Doctor Ecclesiæ scripsit vitam S. P. Benedicti. 2. 3. 4 & seq: non tamen omnia gesta S. Benedicti descripsit. 122. in summo Pontificatu quantoperè meruerit. 145.
S. Gregorius II. PP. Imperatorem priuat imperio Occidentali 154.
S. Gregori⁹ III. Regib⁹ Galliæ Christianissimi titulum concedit. 155.
S. Gregorius IV. Pp. condidit Gregoriopolim, & festum omnium Sanctorum instituit. 162.
Beatus Gregori⁹ V. septẽ viros Electores imperatoris instituit. 167.
S. Gregorius VI. Papa magistratu supremo se abdicat. 170.
S. Gregorius VII. miraculis illustratur & à Deiparâ prodigiosè curatur. 173.
S. Gregorius VIII. Papa à pio zelo commendatus. 184.
B. Gregorius IX. Papa pulsus salutationis Angelicæ author. 185.
Gregorius XII. Papa sanctitatis opinione clarus. 193.
Gregorius Burdinus in Schismate Papa. 195.

H

Hadrianus IV. Papa Pontificiæ maiestatis aßertor. 182.
Hæreticos Benedictini semper confutarunt. 203.
Historiarum scriptores qui nam ex monach: nostris. 208.
Horæ Canonicæ aßeruntur ex vitâ S. Benedicti. 10.
Horologij inuentor Gilbertus monach: Benedict: 168.
Hungarorum erga B. V. Mariam deuotio insignis. 210.

I.

Igne Phantastico deluduntur fratres. 66.
Innocentius II. Papa Schisma profligat & Ecclesiæ consulit. 181.
B. Innocentius IV. purpureum galerum Cardinalibus attribuit, dictusque fuit, Pater iuris. 186.
Joannes VI. Papa hostes Ecclesiæ compescuit. 153.
Joannes IX. Papa Schisma fædissimum profligat. 165.
Joannes XIX. Papa plurimum de Ecclesiâ meretur. 169.
Juris Canõici collectores & interpretes Monachi Benedictini 207.

L.

Lateranensi monastêrio præfuit S. Benedictus & alij ex eius Ordine. 143.
S. Leo II. Papa magnis meritis Ecclesiæ consulit. 151.
S. Leo III. Pp. ab Oriente in Occidentẽ imperiũ transtulit. 159.

Oculos erutos, & linguam præcisam miraculosè recuperauit. 160.

S. Leo IV. Papa poste & incendio Romam liberauit, vrbemque condidit Leoninam. 164.

B. Leo V. ex monacho Pontifex, innocens honore deijcitur ab inuasore sedis. 165.

S. Leo IX. insignia elogia promeruit ob sanctissimè administratum Pontificatum. 170.

Lutheri scemma in monachos. 134

M.

Maginulphus in schismate Pp. 195.

Marcus Poeta S. Benedicti discipulus, 63. *carmen eius de S. P. Benedicto* ibid.

SS. MARIÆ Virginis Deiparæ honorē promouet Bonifacius quartꝰ 148. *eiusdem Deiparæ cultum adaugent multi deuoti nostri monachi* 208. & 210.

S. Maurus offertur S. Bened: 47. *fit Prior claustralis in sublacu* 53. *innoxiè calcat aquas & Placidum ex ijs educit.* 54 *adscribit miraculum sancto Benedicto.* 55. *nunciat S. Benedicto Florentij interitum.* 58.

Michael Camaldulensis Coronæ D. N. inuentor. 213.

Miracula sancti faciunt aliquando per orationes, aliquando per imperia. 108.

Monachi foris contra Regulam comedentes à S. Benedicto arguuntur. 70. & 71. *monachi cogitatio superba à S. Benedicto detecta.* 88. *monacho fugitiuo fit obuius draco.* 100. *monachus vagus à S. Bened: increpatur & cæditur.* 49 *monachus resuscitatur à S. Bened:* 68. *monachus energumenus à S. Bened: sanatur.* 108. *monachi spoliantur suis fortunis.* 135. *in monachos scomma Lutheri.* 135.

Moniales garrulæ à S. Benedicto monentur sub pœna excommunicationis. 65.

Morbum elephantinum S. Benedictus sanat. 102.

Mulier amens in specu Benedicti sanatur. 126.

Mundus totus quâ ratione videri possit. 120 & 121.

N.

Niobe in saxum conuersa, 113.

Nobilitas generis solet parere ignobilitatem mentis. 95.

Nudæ puellæ saltant vt discipulos S. Benedicti ad libidinem prouocent. 57. & 61.

O.

Obedientiæ cacæ illustre exemplum. 55.

Ocyrrhoe filia Centauri Nympha fatidica in equam conuersa. 84.

S. Odilonis in Deiparentem insignis deuotio. 211.

Oleum multiplicatum. 106.
Orationis virtus mirifica. 113.
Ordinis Benedictini merita de Ecclesia Dei. 141.

P.

Parentum amor in filios. 113.
S. Paschalis I. Papa, plurimis meritis Ecclesiæ consuluit 161.
S. Paschalis II. Papa, quatuor Antipapas profligat. 177.
Paschalis III. Antipapa. 195.
S. Pelagius II. Papa ex Ordine S. Benedicti. 144.
Philippus Antipapa. 195.
S. Placidus S. Bened: offertur. 47. *adest S. Benedicto aquam prodigiosè impetranti.* 51. *labitur in aquas & à Mauro extrahitur.* 54. *cui adscribat miraculum.* ibid.
Pluuiam lacrymis impetrat Sancta Scholastica. 115.
Potionem monachis diabolus defert. 107.
Presbyter diuino monitu S. Benedicto cibos defert 30.
Propheticum spiritum habuit Sanctus Benedictus. 74. 86. 87.
Prophetides quatuor ex Ordine S. Benedicti. 214.
Puer monasterij desertor apud parentes moritur. 98.
Puer alter à pariete confractus, sanatur per S. Bened: 68.

R.

Regulam scripsit discretam S. Benedictus. 123. *eius magna vtilitas.* 137. *est via & scala ad cælum* 216.
Res vtiles & varias monachi adinuenerunt. 213.
Riggo Totilæ regis spatarius, regem se simulat. 73.
Romæ clades à S. Benedicto prædicta. 75. & 79.
S. Romanus habitum monasticum confert S. Benedicto 21. *eum in spelunca pascit.* 29.
Rosuueydis monialis doctissima. 214.
Rusticus ligatus solo aspectu sancti Benedicti soluitur. 110.

S.

Sabinus Episcopus Canusinus visitat S. Benedictum. 76.
Sacræ Scripturæ interpretes ex monachis plurimi. 206.
Scholæ & gymnasia à Benedictinis instituta. 205.
S. Scholastica fratrem visitat, tempestatē ciet, 115. *moritur.* 119.
Schismaticos Benedictini ad vnitatem Ecclesiæ reduxerunt. 204.
S. Sergius I. Papa ipsis Schismaticis reuerendus. 152.
S. Sergius IV. Papa sacra expeditione se commendat orbi. 169.
Seruandus Abbas Sancto Benedicto carus. 120.
S. Siluerius Papa discipulus Sancti Be-

Benedicti; 143.

Siluester II. Papa ob insolentiam doctrinæ vulgo magus putabatur. 168.

Siluester III. Antipapa. 195.

Solidi tredecim cælitus allati. 103.

Stephanus II. Papa immaturè præripitur. 156.

S. Stephanus III. Papa. ex monacho. 157.

S. Stephanus IV. Pp. Sedis Apostolicæ honori consulit. 158.

S. Stephanus V. Pp. 160.

Stephanus VIII. mansuetudinis & religionis exemplar. 166.

S. Stephanus IX. Papa miraculis claret. 172.

S. Stanislaum Episc: Cracou: canonizauit Innocent: IV. 186

Summi Pontifices ex Benedictinis quot fuerunt? 142.

T.

Temporũ Ordo historiæ anima. 129.

S. Thomas Aquinas veritates aliquot confirmat ex vita Sancti Benedicti. 7.

Thomæ Bozij de Ordine Benedictino testimonium. 138.

Tenaces & parci similes draconi poma aurea custodienti. 103.

Totila ex congressu S. Benedicti emendatur. 76.

Turrecremata Cardin: Regulam S. Bened: insigniter laudat. 137.

V.

S. Valentinus Papa sanctitate cathedram summè ornauit. 161.

Vas vitreum saxis illisum & non fractum 105.

S. Victor III. Papa stupendum contempti honoris exemplum. 175.

Vitriaci Cardinalis de Ordine Benedictino testimonium. 138.

Vrbanus II. Papa, à S. Benedicto prodigiosè curatur. 176.

Vrbanus IV. Papa pacis conciliator. 188.

B Vrbanus V. Pp. cucullum ad mortẽ vsque semper deferebat. 192.

Vrbes in Septemtrione vnde ædificatæ. 202.

Vtile semper consideratur ab omnibus. 137.

Z.

S. Zacharias Pp. Ecclesiæ meritissimè præfuit. 156.



ERRA-

ERRATA.

Da veniam erratis, paruula si qua vides.

Pag: 6.	*Versu.* 1	sun. lege,	sunt.
	2.	prædicat. l.	prædica.
13.	4.	arguti. l.	argutijs
41.	23.	Tertullio. l.	Tertullus.
63.	35.	milliari. l.	milliaria
	36.	lusita. l.	lusit
129.	5	addnntur. l.	adduntur.
150.	22.	videaturis. l.	videatur.

Pluscula hic ibi occurrent, quæ vel oculos nostros fugerint, vel peritus Lector facilè animaduertet.



PHARVS BENEDICTINA.

Vitam S. P. Benedicti, & Ordinis ab eo instituti, illustrem toto Orbe gloriam complectens, votiuo Jambici applausûs honore.

A

M. Stanislao Iosepho BIEZANOWSKI *Leopol: in Almâ Vniuersitate Cracou: Collegâ Minore, Ordin: Poeseos Profess: excipitur.*

CÆleste fulgur, lampas Orbis aurea,
Iubar beatum, mille candens ignibus,
Magni Parentis Vita, mentium Pharus,

Et

Et vniuersæ sanctitatis gloria,
Bono legentûm destinata publico,
Ab erudita quando prodit dexterâ;
Quidni secundis, vt feratur passibus,
Et mille plausus, & meretur oscula
Deuota mille; tota cæli gratijs
Et tota sacro delibuta nectare.
O quotquot igne sanctiori pectora
Auetis vri, dulcibusque corripi
Perfectioris spiritûs caloribus!
Accendat hæc vos flammei cordis Pharus;
Mentemque formet lectione sedulâ,
Datura lumen, vberemque gratiam
Perfectionis; quâ per Orbem fulgurat
Sacratus Ordo, vera Diuûm patria,
Et Vaticanæ prisca sedes gloriæ.
I ergo felix, digna luce pagina,
Tecumque Diua luceat mundo Pharus,
Quousque in Orbem, clara lampas Cynthia.
Diem coruscis prouehet iugalibus,
Viuetque magnæ sacra proles Nursiæ.

Sit nomen Domini BENEDICTVM, ex hoc, nunc, & vsque in sæculum.

